




**Defensio orthodoxae fidei de sacra Trinitate, c??[n]tra
prodigiosos errores Michaelis Serueti Hispani, : vbi ostenditur
hæreticos iure Gladii coercendos esse, & nominatim de
homine hoc tam impio iuste? & merito? sumpt?[m] Geneuæ
fuisse supplicium**

<https://hdl.handle.net/1874/420872>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

CALVI *Drum* t.c. *vetum*
SECT. Confess Fidei.
BIBLIANDER de Vincacith: *Stian*
HULLINGERUS te *uā ic: Jomina*

E oct.


249

U.B.U.



23





iudicium. iste ep̄c uultu defenon ecc
 m̄sp̄ualib; & q̄ralib; si ip̄am hēbit in
 sibi uisus gressat. **¶** q̄ p̄p̄os̄ s̄a su
 p̄a cū ad ip̄m q̄modū. & in q̄modū r̄uū
 vi. biduū. s̄. p̄am. **¶** s̄; r̄m̄sp̄u ab; c
 hēbit tētas. & alia uim sp̄ualia. **¶** idē
 d̄ q̄ralib; s̄. d̄ coar̄. pastorū. **¶** q̄
 eccl̄a har̄ sp̄a. & p̄petuūz p̄latū ad
 r̄ū ul' aristotem ul' q̄medatorē **¶** tūc
 bona eius abōis monast̄y s̄t d̄ta. **¶**
 m̄ agit̄ q̄t̄ altem̄ cui sub ē p̄p̄a **¶** q̄
 maḡ p̄p̄e d̄ p̄latus h̄ eccl̄e q̄m̄ **¶** q̄ e
 net̄ p̄ q̄ & albas ip̄am possid̄. s̄ d̄ r̄el
 cū uēssent. & ar. s̄. de suppl. n̄ p̄la
¶ n̄ r̄apd̄ albem s̄t̄ solā d̄m̄z
 r̄y ip̄us eccl̄e **¶** s̄; & actōes. s̄. e. u. s̄
 s̄. d̄ of. ord̄. q̄q̄rentē v̄ te h̄. **¶** s̄tem̄
 utq̄ pot̄ queū q̄ & vna censet̄ adm̄
 am̄toz. **¶** s̄it̄ et q̄istoriū offiā s̄. r̄
 et id̄ d̄ c̄. d̄. n̄. de app. r̄ana. **¶** s̄ d̄

119

Theologia
 Octavo n°. 249.

ad
te
uisti
m q
r u
itas
r
gat
e m
cul
itati
f u
leg
ode
lat
si
cos
yel. o
ru
uicu

N. 2. A.

gestempelt: 14-12-96

...multiplicabit...
...ut usape sine factum...
...Causa die munda...
...F. m. i. s. h. m. e. u. t.

DEFENSIO ORTHODOXAE
 fidei de sacra Trinitate, cōtra prodigio-
 sos errores Michaelis Serueti Hispani:
 vbi ostenditur hæreticos iure Gladii co-
 ercendos esse, & nominatim de homine
 hoc tam impio iustè & meritò sumptū
 Geneuæ fuisse supplicium.

Per Iohannem Caluinum.



ex dono Buchely

Oliua Roberti Stephani.

M. D. LIII.



in triplicibus... dno... dno...

DEPARTMENT OF THE INTERIOR

Geological Survey

Washington, D. C.

1880

Report of the

Geological Survey

of the Department of the Interior

for the year 1880

Volume 1

Part 1

Geology of the

State of California

by

John W. Foster

and

John S. Galloway

with

illustrations

by

John W. Foster

and

John S. Galloway

with

illustrations

by

John W. Foster

and

John S. Galloway

with

illustrations

FIDELIS EXPOSITIO ER-
rorum Michaelis Serueti, & breuis eo-
rūdem refutatio: vbi docetur iure Gla-
dii coercendos esse hæreticos.



VANQVAM inter alia errorum
portenta, quibus Satan renascen-
tis Euāgelii lucem hac atate ob-
ruere conatus est, apprime dete-
stabilis est impietatum cōgeries
quam Michael Seruetus libris e-
ditis euomuit: antehac tamen ho-

minem non putavi ex professo refutandum, quia tā-
ta suberat eius deliriis absurditas, vt nullo cōtra pu-
gnante, vltro in fumum abitura sperarem. Breui-
ter quidem veluti in transcursu in meis lucubratio-
nibus attigi eius nomen, vt pii lectores ab eius insi-
diis sibi attentius cauerēt. Sed quia spinosas & erra-
ticas disputationes quæ nihil quàm simplicium fi-
dem labefactarent, data opera agitare, meo iudicio
vtile non erat, à iusto conflictu abstinui. Et superua-
cuus, vt nuper dixi, videbatur iste labor: quia pericu-
lum non erat ne quos sanæ mentis homines & me-
diocri sensu præditos, tam futiles ineptiæ caperent.
Nam quum versatilis ingenii hominem stulta ef-
ferret ambitio, prorsusque transuersum raperet, nō
mirum est si tali mentis ebrietate attonitus, plau-
sum quibuslibet suis figmentis dederit. Vt verò se-
cum alios inebriaret, quorum diuersa erat ratio, nō
timui. Postea ex bonorum virorum relatu agnouī

4
me fuisse deceptum. Nō reputabam scilicet, quid valeat spiritus vertiginis & stuporis, quo Dominus sacrae suae doctrinae profanationem vlcisci solet. Nec verò me latebat quid passim denūtiat in Scriptura, quid variis omnium fere temporum exemplis testatum fecerit: sed nescio quomodo secutum me reddidit ipsa dogmatum fatuitas, vt in mentem non veniret, siquando iram Domini mundus prouocauit, dignum esse nostrū hoc seculum quod in summum nequitiae cumulum peruenit, longè atrocioribus poenis quàm quas olim aduersus ingratos caelestis doctrinae contemptores fuisse editas legimus. Pudēda sunt ludibria quibus Valentinū & similes nebulones lusisse testis est Irenæus. Secuti postea alii sunt perinde crassi impostores, quos mirum est non statim multis cum probris fuisse explosos. Quid igitur causae esse dicemus cur ne ipsis quidem defuerint asseclae, nisi quòd homines perperam curiosos, nouarumque rerum cupidos Dominus iusto iudicio precipites egit, vt clausis oculis se in manifestos Satanæ laqueos induerēt: Quid hodie? Maior pars, humano quoque pudore excusso, palā Deo illudit: in tremenda eius mysteria non minus proteruè irrumpunt, quàm si porci rostra in pretiosum thesaurum ingererent. Multi impura scelestaque vita Euāgelii professionem contaminant. Atq; (vt alia taceā) videmus quàm audacter lasciuiant plurimi in suis cōmentis, quàm inexplebilis nouarum rerum cupiditas, infani pruritus instar, alios exagitet. His ergo vitiis iustam ac debitam mercedem repēdit Deus, dum homines alioqui non stupidos, & aliqua doctrina tinctos bru-

ra quadā socordia in foedos pudēdōsque errores pro-
 labi finit. Hoc quanquā non in tempore (vt decebat)
 remedii adhibendi causa meditatus sum: vbi tamen
 re ipsa edoctus agnoui, non adeo miratus sum, mul-
 tos esse in Italia tabe ista infectos. Quod dico, nō mo-
 dō in bonam partem accipiēt æqui & modesti illius
 gentis homines, sed in corrigendo patriæ suæ malo
 (quod vtinam non aliis quoque regionibus & præ-
 fertim Galliæ nostræ commune foret) mihi libēter
 subscribent. Vulgaris hic morbus est, ac ferè vbique
 regnat, quod vt quisque ingenii agilitate pollet, ita
 eum titillat inanis curiositas. Sed in Italis forte pro-
 pter rarum acumen magis eminent. Iam qui ita cupi-
 dē vētosus argutiis inhiant, digni sunt qui nō solūm
 vēto pascantur, sed mortiferos quoque Satanæ affla-
 tus sorbeant. Hoc quum fidi & idonei testes quibusdā
 suis popularibus contigisse retulerint, non est quod
 dissimulem, si forte ad sobriam mentem moniri re-
 dire possint. Atque vt eos suæ leuitatis pudeat: quos-
 dam scio ex diametro inter se dissidere, qui se tamen
 Serueti discipulos esse profitentur. Quis non videat
 tantam ex nouitate (qualiscunque tādē sit) eos vo-
 luptatē capere, vt hoc solo titulo faueant ignotis er-
 roribus, ac interea pudendum in modum se ad ambi-
 guas pugnas quasi Andabatæ proiiciant? Verū (vt a-
 lienis prouerbiis supersedeam) potius se Madianitis
 similes esse agnoscant, quos spiritus vertiginis in cæ-
 cos conflictus ita instigat. Et sanè hoc non mediocre
 laboris mei pretium fore confido, si homines istos,
 qui parum consideratē hætenus Serueto fuerunt ad-
 dicti, ad sobrietatem colligam.

propositum est, si quorum insanabilis peruicacia fuerit, ne imperitos secū irretiant, peruersis eorum fallaciis occurrere. Nam quod citius factum esse oportuit, saltem vt nūc aggrediar, maior illa quam dixi, cogit necessitas: præsertim quum novos sermones excitarit supplicium quod nuper de ipso sectæ auctore in hac vrbe sumptū fuit. Siquis obiiciat vel ignauum esse bellum quod mortuo inferitur, idque non obscurum diffidentiaæ meæ signum esse quod nunc mortuo insultem, cui viuo & loquenti pepercerim: vel crudelē esse qui mortui hominis umbrā insecter: vtriusque prompta est facilisq; defensio. Ego enim, quandiu spes fuit eius ad sanam mentem reuocandi, priuatim operam meam impendere non destiti. Ac ne dubiis narrationibus lectores morer, tantum simpliciter referā quod duabus ante mortē suam horis verū esse corā multis testibus confessus est. Quū meū colloquiū petiisset, missi sunt duo Senatores qui me in carcerem deducerēt. Quidnam vellet rogatus, dixit se veniam à me petere. Ego verò ingenuè præfatus, me nunquam priuatas iniurias fuisse persecutū, quanta potui māsuetudine admonui: iā me ante annos sexdecim, nō sine præsentivitæ discrimine obtulisse meā operā ad eum sanādum, nec per me stetisse quominus resipiscenti manū pii omnes porrigerēt. Deinde literis priuatis cū ipso placidè egisse, nec vllam captasse ostentationem. Denique nullum à me beneuolētiaæ officiū fuisse prætermissum, donec liberis meis obiurgationibus magis exacerbat, rabiem magis quàm bilem effudit. Verū sermonem de me abscindēs, rogauī vt veniā potius ab æterno Deo pe-

tendā sibi cogitaret, in quem nimis atrociter contumeliosus fuerat, tres hypostaseis ex eius essentia delere tentans: ac Cerberū tricipitē vocans, si realis inter Patrē & Filiū eius, & Spiritū distinctio statueretur. Filium Dei sibi placare in animū induceret, quē fœdē suis cōmentis deformans, & negans in ea carne quam induit, nobis similem, adempto fraternæ coniunctionis vinculo, vnicū redemptorē abnegauerat. Quum monendo & hortādo nihil proficerem, nolui supra magistri regulā sapere. Nā ab hæretico homine, qui *ἀνομιὰς* peccabat, secundum Pauli præceptū discessi. Ad populū quòd in plausibili causa me non venditavi, modestiæ, nō timiditati tribuēt æqui & candidi iudices. Nec verò mihi adeò formidabilis fuit Serueti eloquentia, vt ego eius metu prohibitus, in ipso reprimēdo obmutuerim, qui lōgè robustiores pro afferenda Christi causa sæpius laceßere non sum veritus. Quin potius timui, ne si argumētū illud ferio tractandum susciperem, maleuoli fortè aliqui obtreperent, me pugnandi nimis esse cupidū. Nunc verò quū mortui hominis reliquiæ pestiferū fœtorē spirēt, quisquis malum ne lōgius serpat, remedio arceri indignabitur, improbum se & crudelē ostendet. Quam præpostera obsecro ista est humanitas, vt silētio tegatur vnus hominis dedecus, Satanæ aucupiiis mille animas prostitui? Vtinā sepulti essēt Serueti errores. Sed dū eos volitare audio, tacere sine perfidiæ culpa, nō licet. Quanquā nō tā huius lucubrationis, quam inflictæ homini poenæ reddenda ratio est. Nā quicquid à Senatu nostro actū est, mihi passim adscribitur. Nec sanè dissimulo, mea opera cōsilióque iure

in carcerem fuisse coniectum. Quia recepto huius ciuitatis iure, criminis reū peragere oportuit: causam hucvsque me esse profecutum fateor. Ex quo conuictus est, me nullū de poena verbum fecisse, non solū boni omnes viri mihi testes erūt, sed malis etiā cōcedo vt proferant siquid habēt. Sed quatenus progressus sim, nō tanti interest, vt publico libro calumnia quā mihi aspergunt vel turbulenti homines, vel maligni, vel stolidi & ebriosi, purgetur. Alia (vt video) causa nunc agenda est,

An Christianis Iudicibus hæreticos punire liceat.

ATq; vt hic mihi cum duobus hominū generibus negotiū est, ita distinctè vtrosque vt meretur, tractabo. Multi hodie sunt turbulenti homines, quibus si liberū foret quicquid intus cōceptū habēt effutire, nihil nō pro effraeni sua audacia cōuellerēt. Istis nō mirū est si tā opere arridet impunitas licētiæ mater. facile etiā subscribunt Epicurei omnes ac Lucianici, quorū voluptati hoc vnū deest, quòd quæ inter se clāculum & ænigmaticè sacrilegia obmurmurant, pleno ore crepare nō audēt. Denique quotquot poenæ metu magis quàm pudore, à male scribēdo cohibētur, indigna tyrānide Ecclesiā opprimi contendunt, nisi cuique liberū sit, quæ placuerint in lucē proferre. Ex corū numero ipse quoq; Seruetus fuit, qui indomitam suam proteruiam vllis habenis constringi indigne ferens, negabat in causis religionis aliquem esse Gladii vsum. quāquam hac in parte homo vertiginosus turpiter secū ipse dissidet. Nā ex triginta epistolis, quas velut ad me scriptas in publicū edidit, vigesima septima hanc quæstionē con-

9
tinet, Liceátne Christianis prícipibus scelera morte
punire. Sententiam dicturus ita præfatur, Optimus
ille ordo est què docet intus Spiritus: qui & reluctan-
tem carnem cohibere docet. sed nunquid occidere?
Veritas Dei est, rigidum illud ad mortem iudicium
per Christum esse remissum, vbi spes est correctio-
nis. Hinc adulteræ dixit, Vade, & posthac ne peccau-
ris. Et alibi adiecit, Nequid deterius tibi cõtingat. Si-
cut Iudex ille supremus nos corrigit, & monet ante-
quam occidat: ita alii Iudices facere debent. Illud ve-
rum est, quòd correctione non expectata, Ananiam
& Sapphirã occidit Petrus, ibi morituros prædicens
in criminis detestationem & aliorum exemplũ. Aut
certe quia Spiritus sanctus tũc maxime vicens, què
spreuerant, docebat esse incorrigibiles in malitia ob-
stinatos. Hoc crimen est morte simpliciter dignum
& apud Deum & apud homines. In aliis autem cri-
minibus, vbi Spiritus sanctus speciale quid non do-
cet, vbi non est inueterata malitia, aut obstinatio cer-
ta non apparet, aut atrocitas magna, correctione per
alias castigationes magis sperare debemus, quàm
mortẽ inferre. Inter correctiones exiliũ laudamus,
Christo ita probatũ, vt excõmunicatio probatur in
Ecclesia. Schismata & hæreses ita initio puniebãtur,
durãte Apostolicæ traditionis vestigio. Qui extra fi-
dei negotiũ sunt facinorosi, iure omnium gentiũ pu-
niuntur: quod etiã ius naturale est. Hoc Christus nõ
negauit: sicut hæreditatem diuidere recusans, nõ ne-
gauit esse qui hæreditates diuiderent. Primũ ne-
gat, occidere, ex Spiritus doctrina proficisci. Dein-
de mortale iudicium Christi aduentu remissum esse,

vbi spes est correctionis. Paulo post fatetur extra fidei negotiū, de sceleratis capitale suppliciū iuste sumi: neque magis impediri tales pœnas Christi aduentu, quàm ius familiæ herciscundæ. Et me scilicet Iudæum appellat, quia iuris rigorem intactū relinquo. Ego autē non vereor ne mihi probro vertāt sani lectores, si abrogare quod à Deo sancitum esse cōstat, ausus non fuerim. Quid autē ipse? Christus capitaliter, inquit, puniri non vult, nisi qui se desperatos ostendūt. Vnde probatur: Quia adulteræ dixit, Vade, & post hac ne pecces. Atqui dum vindictam de adulterio non sumit, an sequitur adulteriis impunitatem ab eo dari? Certē nihilo magis pœnam Lege sancitā abolet, quàm hæreditates negat esse diuidendas, quū iudex vel arbiter esse renuit. Altera ratio, Spiritus carnem cohibere docet, nō occidere. Dicas non legisse tres Scripturæ paginas: vbi non cohibitio, sed mortificatio carnis toties præcipitur. Cæterum, quid hoc ad forenses pœnas, quarum priuatis hominibus executio non mandatur? De carne verò mortificāda, generalis est præceptio, & quæ ad singulos pertinet. Alia ratio, Cælestis iudex imitandus est, qui pœnam non infligit nisi desperatis. Iam hoc quidem nimis absurdè, quòd Deum nunc fingit sui dissimilem, qui paternæ castigationis loco, quosdā ex suis olim terrena vita priuauit. Sed quoniam Manichæis (vt alibi clarè videbimus) se affinē esse non dissimulat, ex Veteri testamento exempla non adducam. Paulum obiiciam: qui postquam testatus est, multos Corinthi ob sacræ Cœnæ neglectum mortuos esse, continuò post solatiū addit, Fideles à Domino corripit, ne

cum hoc mundo damnētur. Siquis excipiat ab vltimo interitu liberari, quos Dominus à mundo tollit: hoc idē volo, iure interdū priuari corporali vita, qui nō prorsus reprobī sunt. Iā in morte Ananiæ quā inep̄tē cauilletur, persequi nihil opusest. Tātūm duo ista inter se cōferāt sanī & sobrii lectōres: ī aliis criminibus, vbi incorrigibilis malitia nōdum apparet, aut atrocitas magna, & Spiritus sanctus speciale quid nō docet, tentādas esse magis castigations quæ ad pœnitentiam adducāt, quā mortē inferendā: rursus qui extra fidei negotiū scelerati sunt, iure gentiū puniri: cui nullū obstaculū ponit Christi doctrina. Miri verò artifices erūt Serueti discipuli, si res inter se adeò contrarias abolito naturæ ordine conciliēt. Adhæc, vnde inter fidei violationē, & alia maleficia discriminē nisi ex cerebro suo sumpsit? Si vult Christi aduentu mitigatū esse cōtra hæreses rigorē, testimoniū proferrat. Verūm nō minus securè locutus est, quā si pepigisset cum mundo, fidē suis somniis habēdam esse. Prodit alter fanaticus ex suo antro, qui Seruetū vocat optimū suū fratrem: & ideo puniēdos esse negat hæreticos, quia sacris oraculis sensum quisq; suo arbitrio affingat: vt certa veritas quasi nubibus obuoluta lateat. Ita bon⁹ interpres fidē ex hominū cordib⁹ delere mauult, quā pœnis subiicere qui eā labefactāt. Qualis enim extabit religio, quibus notis discernetur vera Ecclesia, quid denique erit Christus ipse, si incerta sit ac suspēsa pietatis doctrina? Quantū verò Dei probrum, si ita flexiloquus censetur in suis oraculis vt nobis iocose illudat? Atqui nisi certa religio prodita sit in Scripturis, sequitur, nos ambagibus, imò fal

laciis ab ipso frustra occupari. Quid superest, nisi vt eiusmodi homines viâ petulantia suâ facturi, Scripturam, quæ obstaculo est, penitus submoueant? Interea verum esse quod nuper dixi, apparet, tum Lucianicos & crassos Dei contemptores, tum etiam omnes tumultuosos suam causam agere, vt omnia impune perturbēt, dum religionem tuendâ à principibus suscipi, & legū pœnis vindicari nolunt. Sed iam ad bonos & simplices me conuerto: qui inscitia quidem labuntur: præcipue tamen tyrannicis Papistarum edictis offensi è recto iudicio declinant. Vidēt, quum impiè sub Papatu fœdata sit religio, & corruptelis innumeris referta, meris terroribus diabolicâ illam confusionem fulciri, vt contra vel syllabam vnâ missitare capitale sit. Iusta sane offensio: veritatē Dei cernere ferro & ignibus oppressâ, vt nemo eam suo patrocínio iuuare audeat: errores verò legitimi iudicii prætextu violenter septos, vt coarguēdi nulla sit libertas. Atque hæc querimonia piis omnibus communis est. Itaque non taciti solùm gemimus, sed clara voce deflemus, eò seruitutis redactum esse miserum orbem, vt nec vlla disceptatio locum habeat, nec qui Præsulum nomine dominantur, vocem aliquam suis placitis dissonam admittant, nec denique dubitare vel inquirere permittât. Barbaries est non ferenda, vbi nulla viget cognitio, possessio- nem nullo iure nec ratione munitam, gladio tueri. Verum quum sanctos Dei Prophetas & Apostolos olim similis premeret iniquitas, non negarunt quin Dei cultū & cælestem eius doctrinâ fas esset legitima potestate defendi, vt de impiis eius euer fori-

bus pœna diuinitus præscripta sumeretur. Seuerum
 certe, vt postea videbimus, iudicium Deus in eos con-
 stituerat qui populum tētaſſent à vera religione ab-
 ducere. A sceleratis tyrannis Ieremias ad capitale sup-
 plicium tractus, & in foueam proiectus, ad hoc asylū
 minimè confugit, cultum Dei non esse gladio vindi-
 candum: sed diuerſa exceptione vtitur, pœnam datu-
 ros veritatis hostes, vbi innoxium sanguinem fude-
 rint. Quid Apostoli? an exostulant cum aduerſa-
 riis quòd religionem ex Legis mandato, pœnis de-
 fendant? Imò sola causæ bonitate freti nullam seue-
 ritatem refugiunt, siquid peccasse deprehēsi fuerint.
 Hilarium quidem lōgius prouchi fateor. queritur e-
 nim Ecclesiam carceribus & exiliis terrere, atque ita
 cogere ad credendū, quæ exiliis & carceribus est cre-
 dita: nimis propensam esse ad dignitatē fauentium,
 quæ persequentiuū terrore cōsecrata est: fugare sacer-
 dotes, quæ sacerdotibus fugatis est propagata: glo-
 riarum mundi fauore, quæ Christi esse non potuit, nisi
 eam mūdus odisset. Sed illi Auxentii & similibus fe-
 rocitas stomachum mouit, vt præsentē magis indi-
 gnitatē carperet (sicuti plausibile illi dabatur argu-
 mētum) quàm perpetuā tuendæ fidei rationē expēde-
 ret. Nā quòd inopē suæ virtutis Christum argui cau-
 satur, dum fidem terrena suffragia cōmendant: non
 debet in eam partem trahi, quasi Euangelii certitu-
 dini quicquam deroget credentium autoritas, vel
 religio vileſcat, Regū patrociniū adiuta: sed in eos
 tantum querimonia dirigitur, qui Dei verbo desti-
 tuti, manu armata peruersos errores sustinebāt. Idē
 hodie deflere licet, statum Papalis Ecclesiæ non nisi

Epist. 66. ad
Donatistas.

vi & cædibus suffultum esse, omisso pastorum officio, tyrânicis solùm edictis fulminare, qui se præsitulû titulo venditant: quû vera & genuina Christi Ecclesia ex persecutionibus orta, sub iisdem floruerit. Verùm nõ obstant persecutorum gladii, quominus suis sceptris pii magistratus Ecclesiam quæ iniuste afflicta olim fuit, tueantur: nec martyrum cruces impediunt quominus iusto legum præsidio ad Deum tràquillè colendum fideles iuuentur. Prudèter enim Augustinus, Imperatores, inquit, si in errore essent, quod absit, pro errore suo contra veritatem leges darent: per quas iusti & probarètur, & coronarètur, nõ facièdo quod illi iuberèt, quia Deus prohiberet: sicut iusserat Nabuchadnesar vt aurea statua adoraretur: quod qui facere noluerunt, Deo prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatè tenèt, pro ipsa contra errorem iubent: quod quisquis contèpserit, iudiciû sibi accersit: nã & inter homines pœnas luit, & corâ Deo sortem nõ habet qui hoc facere noluit quod ipsa veritas per cor Regis iussit: sicut ipse Nabuchadnesar postea miraculo commotus, atque mutatus, pro veritate contra errorè edictum proposuit. Et fanè quod in religione conspicimus, idè & de eius tuendæ zelo sentiendum est. Qui regulam ex puro Dei verbo petunt, ritè & ordine ab illis religio colitur. Siquis sibi cultum fabricat pro arbitrio: vel fortuitò quod ab aliis temerè cõmètum est, arripit, quo magis sataget, eo se maiore reatu cõstringet: quia nihil laudis meretur superstitio. Sic verus & legitimus Dei cultor, quatenus feret eius vocatio, pro fidei suæ defensione pugnabit. Incredulos cæca rabies abripiet,

Ita in Papistis stultum, & scientia vacuum zelum qui eos præcipitat, meritò dānamus: nō minus scilicet quàm insanas superstitiones, quibus fascinati superbè Dei verbum conculcāt. Si præposterius zeli vitium ex ignorātia manat: cur non laudabilis erit ille zelus qui non fortuitò raptat Dei filios, sed qui ad fidem quæ illis solidè testata est, asserendam inflammat? Denique sicut inter martyres & blasphemos in poenæ similitudine, culpa tamen discrimen statuit: sic pios & rectos zelotas cognitio, iniquos & peruersos temeritas & cæcus impulsus facit. Trahetur ad supplicium qui figmentum esse contendet quicquid Sacris oraculis proditum est. quis tale monstrū honorifico martyris titulo ausit ornare? Népe vt rectè idem Augustinus definit, martyrem facit causa, non poena. Si non ille martyr: cur seuerus Iudex non censebitur qui de eo poenā sumit, potius quàm crudelis persecutor? Ergo hīc tenenda est prudētia & moderatio, ne vel pro causa incognita tumultuosè efferueāt Principes, vel immani sauitia ad sanguinem fundēdum ruant. Veteri prouerbio, audax inscitia vocata est: superstitionis verò mira est tā audacia quàm crudelitas. Itaque videmus nihil hypocritis, quū suæ inscitiae & erroribus securè indormiāt, magis esse sanguinarium. Nec verò fieri aliter potest, quin patris sui ingenium referant increduli omnes, qui & homicida fuit ab initio, & mendacii pater. Veris autem Dei cultoribus ab utroque vitio cauendum: ne vel eius incognitæ patrociniū temerè arripiant, vel ad seueritatem intemperanter ferantur. Nam si in terrenis causis omnium probris meritò traducitur

Epist. 167. ad

Festum.

Idē ad Dulci-
tū, Epist. 61.

Iohā 8. f. 44.

Iudicis socordia, qui ex aliorum opinione, ignarus ipse totius rei, sententiam fert: quanto minus ferendi sunt qui in causa pietatis inquisitionem, quæ priuatis etiam quibusq; præcipitur, supino fastidio negligunt: Itaque detestabilis est illa quæ in Papatu dominatur barbaries: nec verò horribile Dei iudicium effugiet. Adsunt parati martyres ad reddendam omnium rationem, si liceat. Ad eò nulla ex verbo Dei conceditur defensio, vt actionis principium sit, nullam disceptationem admittere. Itaque ansa rationibus præcisa, miseros homines non auditos excarnificant diris tormētis: postea linguis exectis ad ignē extrudunt, non qui sua flamma eos statim absumat, sed lenta vstulatione cōficiat, quò se mori sentiant, vt dicebat tyrannus ille. Exēplar sane illud est tum belluini stuporis, tum immanis sauitiæ. Rectèque etiam in hac parte Augustinus, Si terreatur, inquit, & nō doceantur, improba quasi dominatio videbitur. Sed rursus si docentur & non terrentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capeffendam viam salutis pigrius surgēt. De cōuictis hæreticis loquitur, qui superba tantum morositate inducti, discessionē ab Ecclesia fecerant. Quid ergo dictum fuisse putamus, si pios & simplices vnius Dei cultores crudeliter vidisset hac tantum causa vstulari, quia hominum figmentis clarū Dei verbum opponerent: Neque enim Papæ incendiariis tantopere sauiendi alia est ratio, nisi quòd fictitiis suis legibus quicquam derogari nō sustinēt. Sed eos suppressa doctrinæ luce, tam impotenter furere: mirum non est, quorum dominatio in confusis verbi Dei ruinis fundata est,

Ad Vincent.
Epist. 48.

& quibus spes victoriæ non nisi in tenebris sita. Longè aliter Ecclesia Dei, quæ ut fidei suæ confessionem ex ore Dei petit, ita ad eandem regulam ne præpostere feratur, zelum suum temperat. Nobis igitur quin seruanda sit exacta tum prudentia, tum mansuetudo, nulla dubitatio est: deinde quin iudicio præire debeat placida & religiosa doctrinæ cognitio. Sed hoc minimè obstaculo est quin magistratus officium sit, gladio & pœnis coercere, qui quum ipsi sint apostatæ à recta fide, alios ad defectionem sollicitant, & in Deum contumeliosi miseris animas illaqueant suis fallaciis, pacem conturbant Ecclesiæ, & pietatis consensum scindunt ac lacerant. Quas tamen obtendant rationes imperiti, sed non mali homines, quibus tanto sceleris danda videtur impunitas, breuiter videndum est. Regnum suum, inquit, manu & armis constituit Dominus non voluit, sed spiritali Euangelii gladio: & suos hortatus est, ut parati essent proprium sanguinem fundere: ut alienum funderent, nusquam præcepit: Apostolos tanquam agnos in medium luporum emisit, non instruxit carnis potentia. At qui si contra excipiam, nusquam Dominum suis mandasse ut furta, rapinas, adulteria, cædes, veneficia puniant: ideoque impune ferenda esse hæc omnia: quid dicenturi sunt: concedentne laxandas esse habenas sceleratis, ac non potius dicent, non obstare, quæ singulis præcipitur, tolerantiam, quominus vigeant legum sanctiones? Verum quidem esse fateor, neque vi armata erectum ab initio fuisse Christi regnum, neque armorum præsidio stare. Euangelii enim prædicatione regnare Christum oportet, ut impleatur

Psal. 18 g. 45. vaticinium illud, Populus quem non nouerā, mi-
 hi subiectus fuit: ad auditū auris obediuit mihi. Ita
 que Dominus, quo illustrior esset vocis suæ effica-
 cia, nudos & inermes misit Apostolos: nec modò
 destituit voluit terrena potētia, sed totū ferè mundū
 habere infestū, vt cælestē esse Euangelii victoriam
 omnibus cōstaret, dū instar palmæ cōtra tot tam-
 que ardua obstacula emerfit. Nec verò aliter hac
 ætate, quàm inuito & reluētante mundo vel denuò
 surrexit, vel adhuc floret. Sua igitur virtute, nō ho-
 minū manu sustinetur religio. Nec frustra Euāge-
 lii ministros patiētia magis armat Christus, quàm
 bellandi facultate: quia sic animatos esse conuenit,
 vt quam lingua asserunt doctrinam, proprio san-
 guine quoties opus fuerit, obsignare non dubitent.
 Primum, veræ, sanæque doctrinæ plerūque aduer-
 santur mundi principes. Deinde multos, quibus ad
 breue tempus arrisit, suo rigore exasperat. Pauci
 sunt qui ferendo iugo ceruicem libenter submit-
 tant: & quemadmodum delicias sibi ipsi faciunt, i-
 ta doctores appetunt blandos, & mellitos, qui serui-
 liter adulentur. Iam videmus quàm non æqualis
 sit Principum successio, sed bene compositū à pa-
 tre Ecclesiæ statum filius quasi violenta procella re-
 pentè subuertat. Atqui Euangelii ministros mini-
 me ad quamlibet auram flexibiles nutare decet:
 verū quocunque inclinent hominum animi, &
 quanlibet dissimilis sit temporum conditio, rectū
 cursum tenere, ne æterna & immutabilis Dei veri-
 tas, quæ apud eos deposita est, perfida eorum igna-
 uia concidat. Sic veteres Prophetas, licet propiti-
 is interdum Regibus vsi sint, eorūque præsidio

adiuti, videmus tamen variis subinde tempestati-
 bus fuisse iactatos: vt negari non possit omnes, sub
 crucis Christi vexillo militasse. Hoc certe seculis
 omnibus cōmune est, hominibus non placere qui-
 cunq; fideliter Christo seruiunt. Absurdū esse obii-
 ciūt, spirituale Christi regnum carnis potētia sub-
 niti. nempe vt fidem absurdum est in humana elo-
 quentia fundatā esse. Nunc si quis obmutescere iu-
 beat quicumque disertus sunt, doctos omnes & libera-
 libus artibus politos à suggestu prohibeat, neminē
 acuto & fœlici ingenio præditū admittat ad docē-
 di munus, ne fidē exinaniāt eloquētia & paulo sub-
 tiliior agēdi dexteritas, nōne apertā Deo, cuiusque do-
 nis iniuriā faciet? Stultescere quidē iubet Paul⁹ qui
 cunq; sapere vidētur, vt Christi discipuli fiāt: nē-
 pe vt sapiētia carnis in ordinē coacta, emineat sola
 fides. Quòd si nulla ratio impedit quo minus Euā-
 geliū prædicatio arcana tātū Spiritus virtute sit ef-
 ficax, & pedissequas tamen habere possit humanas
 artes: ita nec religio, tametsi sola Dei manu conti-
 netur, & sub cruce triūphat, à legitimis tamē subsi-
 diis, vbi ita visum est Deo, nō abhorret. Quæ stulca
 sunt mūdi elegit Deus vt sapiētes cōfundēret. Ve-
 rùm, qui à piscatoribus exordiū fecit, postea alios si-
 bi delegit ministros neque ita rudes, & elegantiori
 doctrina tinctos. Quinetiā Paulus ipse, qui se faci-
 dia destitui fatetur, non omnis doctri:æ expers, vt
 alii eius collegæ, sed à puero in Lege eruditus fue-
 rat. Vt autē de successoribus taceā, Iesaiæ sermo nō
 modò purus & nitidus, sed etiam artificio ornatus
 satis testatur eloquentiam, fidei interdum ministrā

esse. Et certè Christus non minus stellæ radiis Magos ad se deduxit, quàm pastores Angeli voce. Quare nec rude obscurumque vulgus, ex quo sumpsit Christus Ecclesiæ primitias, viam regibus præclusit quin ipsi quoque & se, & sua omnia ei offerrent: & ipsa etiam Gladii potestas, qua instructi sunt, sacra esset oblatio. Nunc videmus vt ad ferendâ crucem, ad odia, probrâque mundi subeunda paratos esse oporteat Euangelii ministros, sicuti non aliis quàm paciëntiæ armis Dominus eos instruxit: & tamen iubeantur reges pietatis doctrinam suo patrocinio tueri. Adeoque in ipsis principibus vtriusque officii documentum Christus interdum proponit. Illustrissimus Saxonix Elector Iohannes, quum à carnificis manu non procul abesset, constanter & intrepidè ad obeundam pro fidei suæ confessione mortem paratum se ac volutarium ostendit. Idem nunc, si quis impius apostata in eius ditione purum Dei cultum euertere conetur, non dubitabit strenuus regni Christi esse defensor. Obiiciunt deinde, nihil minus esse consentaneum quàm vt ad fidem, quæ propensa obedientia constat, violenter cogatur homines. Ego, vt omittam quæ verè, & scitè in hanc sententiam disputat Augustinus, vtiliter scilicet inuitos trahi, qui Deo reluctantur, vt castigatione subacti sponte accedant: respõdeo in tuendo Ecclesiæ statu aliud esse Gladii vsum quàm vt ad fidem quis cogatur. Nam vt demus in principum manu & arbitrio non esse, edictis suis penetrare in hominum corda, vt obedienter salutis doctrinam amplexi Deo se subiiciant, hoc tamen postulat eorum vocatio, ne

Ad Bonificiũ
Epist. 50, &
aliis locis.

impuris ac petulantibus linguis lacerare permittat
 sacrum Dei nomen, eiusque cultum pessundari sinat.
 Priuatus homo qui vitæ & mortis potestatem non ha-
 bet, si domum, cui præest, sacrilegiis pollui sinat, cul-
 pa non vacabit: quanto foedior erit Principis igna-
 uia, si ad effrangentem pietatis violationem conuieat: Sede-
 bit scilicet Iudex in sublimi ac magnifico solio, &
 Christi gloriam probrose deiici tacitus feret, & impe-
 rium sibi poenarum metu asserens, licentiam improbis
 dissipandæ Ecclesiæ concedet: Ergo pietatis doctri-
 næ vindices erunt pii magistratus, non solum ut ad fi-
 dem cogant minus voluntarios, sed ne ab ea ditione
 exulet Christus in qua eius beneficio regnant: ne lu-
 dibriis impunè subiaceat sacrum eius nomen, cuius
 splendore honorifica est eorum potestas: ne contra eius
 doctrinam proteruiant impii, qui tranquillum eorum
 imperium continent: ne infirmos, quibus diuinitus præ-
 facti sunt custodes, in exitium rapi, silentes & quieti
 videant. Obtendunt præterea, Christi discipulis co-
 lendam esse mansuetudinem, quæ in Magistro ap-
 paruit. neque enim armis, inquit, præfractos co-
 pulit in suum obsequium: sed doctrina omnes blân-
 de allicere tentauit, ut illud impleteret Iesaiæ vaticini-
 um, Ecce seruus meus non rixabitur, neque con-
 tendet, neque in plateis audietur eius clamor: cala-
 mum quassatum non confringet, & ellychnium fumi-
 gans non extinguet. Quasi verò nobis contraria ex-
 ceptio non sit in promptu, ut doctoris officio functus
 est Christus, ita arreptum fuisse ab eo flagellum quo
 templum Dei à profana nudinatione purgaret. Si im-
 petu profligauit filius Dei, qui diuini cultus præ-

Esai. 42. 2, 3.

textu hostias in atrio templi vēdebant, cur gladiū
 sibi diuinitus cōmissum nō exerant pii Magistra-
 tus ad coercendos perfidos apostatas, qui totū Dei
 templū aperta cōtumelia profanāt ac violāt: Ac v-
 nū quidē huius sancti zeli specimē edidit Christus.
 In reliquo autem vocationis suæ cursu ab externo
 correccionis genere abstinuit, ne spirituale regnū
 sibi à Patre cōmissu terrenis imperiis misceret. Nā
 qui hereditatis inter fratres herciscūdæ arbiter ef-
 se renuit, suū tamē ius cuiq; seruari vult à piis Iudi-
 cibus. Ad hæc distinctè notat Iesaiæ vaticiniū, non
 ad omnes promiscuē spectare quā commendat in
 Christo mansuetudinē. Placida Christo, mitisque
 suauitas tribuitur, qua infirmos sustineat, non qua
 robustā malitiā magis obduret. Māsuetus est Chri-
 stus, vt calamū quassatum non confringat: an ideo
 quoque vt eorum obstinationem foueat, qui de-
 biles confringunt? Māsuetus est vt parcat ellych-
 niis fumigātibus: an ideo vt tenebras nō discutiat?
 Quin potius sceptro ferreo armatur, quo inimico-
 rū capita cōterat. Scio equidē, vt nō alio quàm ver-
 bi gladio vtatur Christus, prōptā illi esse vindictā
 in omnes impios: sed non dicemus alio quàm eius
 Spiritu actū fuisse Petrū, quum Ananiā & Sapphi-
 rā subita morte percussit: nec Paulū dicemus fuisse
 Magistro dissimilē, quū Elymā magum cæcitate
 yltus est. Nec video quorsum pertineant potentia,
 quas inter Spiritus dona commemorat idem Pau-
 lus, nisi vt ad incutiendum contemptoribus terro-
 ré vigeret Spiritus scueritas. Ergo verbi ministris
 licuit corporali pœna coercere impios: Principes,

quorum propriū est munus gladio tueri sanctū or-
 dinem, in fidei dissipatione cessabunt? Porro crude-
 lis est ista quā laudant clementia, oues exponere in
 prædam vt lupis parcat. Animas ipsi prauorum
 dogmatū veneno interficiūt, & legitima Gladii po-
 testas ab ipsorum corporibus arcebitur: lacerabi-
 tur totum Christi corpus, vt putridi vnus mēbri
 intactus maneat foetor: Equidē vt moderatē agant
 Principes, à piis doctoribus monendos hortādōsq;
 esse fateor: & medicorū instar, vim vltimā nō adhi-
 beant nisi desperatis morbis: sed à dissoluta molli-
 tie, quæ nihil aliud est quàm mali fomentū, multū
 differt lenis humanæque medēdi ratio. Adducūt e-
 tiā quædā Scripturæ testimonia, in quibus vnū vi-
 detur habere aliquid coloris: Sinite, inquit Christ⁹,
 zizania cum tritico crescere, ne simul euellatur &
 triticū. Si præcisē nobiscū agūt ex verborū formu-
 la, nō tantū prohibētur Magistratus ab vsu Gladii,
 sed omnē disciplinā è medio tolli oportet. Excom-
 municatio purgādæ Ecclesiæ optimū est remediū:
 atqui locū nō habebit, si zizania attingere fas non
 est. Adde quòd non tantū de peruersis dogmatibus
 illic Dominus agit, sed quascunq; corruptelas ad-
 vitiādum bonū semē spargit Satan, in genere desi-
 gnat. Facessāt igitur leges & iudicia, si relinqui ziza-
 nia oportet vsque ad messem. Atqui sanis lectorib⁹
 minime ambiguū est Christi cōsiliū. Quæadmodū
 enim alibi Ecclesiā areæ similē facit, in qua paleæ
 permixtū est triticū: & sagenæ, in quam pariter bo-
 ni & mali pisces aggregantur: ita nūc agro eā cōpa-
 rat, qui loliū vnā cū bona semene ferre & alere co-

Matth. 13. d. 19

..

..

11. 3. 88

gitur. Inde enim zeli intemperies nimis acribus ingenii, quod indignum esse putat sordibus inquinari Dei factuarii: spousam Christi, quam sanguine suo mundavit, & in qua lucere Dei gloria debet, foedis maculis esse aspersam. Atqui Dominus ut nos humiliet, ut probet nostram constantiam, ut nos ad cauendum sollicitet, Ecclesiam suam multis vitiis esse obnoxiam patitur. Atque hinc fit ut malos cum gemitu ferre in suo gremio cogatur, quos fugare non potest. Est quidem illud verum, simulac cum Euangelio suo prodit Christus, ventilabro paleas à tritico discernere: sed hoc ita facere incipit, ut plena purgatio ad diem ultimum differatur, quo segregabit agnos ab hœdis. Non igitur quolibet rigorem cessare Christus iubet, sed toleranda esse mala admonet quæ sine pernicie corrigi nequeunt. Et certè quolibet sedulo & animose quisque pro suo officio eradicandis vitiis iucumbat, nunquam eousque proficiet seueritas quin multæ vitiorum reliquæ maneant. Gamalielis autoritas perperam ab illis adducitur. Suadet Gamaliel ut quiescant Scribæ, quia si ex hominibus est doctrina, sponte diffluet: si ex Deo, nunquam poterit dissolui. Nam id imperitè dictum esse facile inde patet, quod non modo pessundet omnem politicum ordinem, sed Ecclesiam quoque disciplinam eneruat. Et certè habenda erat personæ ratio. Nam Gamaliel ambigens quid rectum sit, quasi cæcus in tenebris, neque huc neque illuc se conferre audeat: sed suspēdit sententiã. interim ex veris principiis malam consequentiã elicit, nihil adhibendum esse consilii, quia Deus quod suum est tuebitur: quod autem ab hominibus est, pessum ibit. Atqui Dominus tametsi

unicus sit agricola, mittit tamen operarios in vineam suam: tamen si solus det incrementum, vult tamen esse qui plantet, & riget: tamen si templi sui sit architectus, ministros tamen & opifices sibi adiungit qui in hoc ædificium laborent. Denique, tamen si defensor sit operum suorum & vindex, hominibus tamen vtitur ministris. Putidum est quàm ut refutatione indigeat quod quidam ex profanorum hominum dictis colligunt, Si de cultu Dei, & Legis doctrina habetur quaestio, non esse crimen morte aut vinculis dignum. Quis enim non videt, homines à vera luce alienos contemptim exposuisse. Dei Legem rixis & certaminibus, ut tandem in fastidium & probum veniret? Claudius Lysias Felici scribit se nullum in Paulo reperisse crimen, quia tantum cum Iudæis de Legge disceptet: non quod probet Pauli causam, sed quia Legem suscipere deique habet: imò cuperet prorsus esse abolitam, ideoque gaudet intestinis dissidiis conuelli. Tamen boni scilicet patroni voce, iudicii laqueos dissolvere conatus est Seruetus: quasi caeleste esset oraculum quod Lucas à tam malo auctore profectum esse recitat.

Obiiciunt tamen, quum iussus est Petrus gladium in vaginam recondere, Dominum satis clarè testatum esse quàm sibi non placeat violenta & armata Evangelii defensio. Sed quid si excipiam, ne verbis quidem coram Pilato suam innocentiam asseruisse, ut iure poterat: Si decreto Patris obsequi volens quasi agnus coram tonsore obmutuit, & tantisper à prædicando Evangelio abstinuit, dum sacrificio mortis suae peccata expiaret: miramur si Petrum à cæde

prohibuerit: Verùm aliud est quod respondeã: Ius stringendi gladii Christus ministro suo non concedit: temere enim homo priuatus cum arripuerat. Tumultuose repelli nõ vult milites à quibus vinciedus erat, nepe ne hãc infamiã subiret quasi aleret pro Euangelii ministris sicarios. Hinc colligi nulla ratio patitur, Principũ manus ligari ne ordinarium munus suũ exerceant. In summa, vi Petrũ grassari nõ ideo vetat, vel vt Magistratus exarmet, vel vt eos repellat à iusta Euãgelii propugnatione: sed quia illum ruere nõ vult præcipiti impetu extra vocationis suã metas, nec mortis suã, qua recõciliãdi erant homines Deo, quicquã morã afferri.

Haftenus quacũque ab aduersa parte obtẽdi solẽt, bona fide retuli, & me satis diluisse arbitrør. Superest vt non modò liberum esse Magistratibus doceã pœnas sumere de cœlestis doctrinã corruptoribus, sed quod illis nolunt licere imperiti, diuinitus esse mandatũ, vt pestiferis erroribus impunitatem dare nequeãt quin desciscant ab officii sui fide. Ac primò quidẽ hoc dictare naturã sensum, vt in omni politica bene composita principiũ teneat religio, & legũ præsidio integra seruetur, testes sunt ipsi increduli. Legantur Philosophi, quicunque hoc argumentũ tractarũt. Certè incipiunt à diuino cultu, & eo religionis genere quod optimũ esse putabant: vt secundũ eos barbarus sit, & insipidus legislator, cui pietatis erga deos prima non est cura. Pudendum verò nobis erit, illos in tenebris vidisse quod nos in luce fugiat. Nec superstitioni tribui potest quòd illi in legibus suis religionis custodiam comple-

xi sunt. Quid enim absurdius est, quàm furta seuerè puniat Iudex, sacrilegiis licentiã dare? quum suum cuique honorè saluum tueatur, lacerandã impiis exponere Dei gloriam? De periuriis nemo litè mouere audebit quin grauius puniendã sint. Cur hoc fatentur qui hæreticis exhibendã esse molestiã negant, nisi quia periuriis læditur humana societas? Ergo Dei gloria hominũ cõmodis implicita vindicabitur: vbi autè nemo de sua iactura queretur, inulta cum ludibrio iacebit? Superuacuum foret pluribus verbis hoc persequi. Nam quũ rectæ politiæ finis sit, legitimi inter homines ordinis cõseruatio, neglectus autem pietatis ordinem hũc ita dissipet, vt extra ipsam bruta sit hominum vita, mutilã esse gubernationis formam constat, in qua negligitur religio: & Magistratus non nisi dimidios esse & vmbrales, qui forensibus tantum negotiis intenti, de asserendo Dei cultu non cogitant.

Huius rei illustre nobis exemplũ Spiritus Dei proponit in Nabuchadnefer. Nam eius edictum celebrat Daniel, quo capitalem pœnam denuntiat si quis in Deum Israel blasphemus fuerit. Honor profectò non vulgaris crudeli tyranno habetur, quum Prophetam suum Dominus ad publicandas quas tulit leges quasi præconem assignat, & leges ipsas in acta sua refert, sacrisque suis oraculis annumerat. Quid: an Spiritus sancti & Prophetæ claudio laudatur Nabuchadnefer, qui veri Dei gloriã pro imperio tutandam suscepit, vt ad impiam eius profanationem conuieant sancti Magistratus: ac non potius his Dominus sub profani regis perso-

na quid agere ipsos deceat præscribit? Et certè quid magis præposterum quàm in Ecclesiæ sinu impune foueri scelestas in Deum cõtumelias quæ in Babylone pœna capitali sancitæ fuerunt? quàm si tribunal in quo viget Dei cognitio, sacrũ eius nomen, cuius custos & assertor fuit rex Babylonius, præsidio, tutelæque sua nõ dignatur? Non quòd hominũ auxiliis ipse indigeat, sed quia nihil minus consentanũ est, quàm Reges & Magistratus, quos sibi in terris constituit ministros, sua studia ad tuẽdum eius cultum non referre. Hoc tantũ interest, quòd si illum zeli ardorem in sæuo tyranno accedit exigua scintilla, Principes Ecclesiæ domesticos, quibus certò cõperta est, & clarè illuxit Dei veritas, nisi pro eã lógè animosius pugnet, constat turpis ignauitæ bis reos esse.

Sed iam audiamus quid iuris Dominus statuerit in sua Ecclesia. Postquã enim Prophetã, & somniantorem qui populum abducere tetauerit à recto pietatis cultu, iussit occidi, eãdem pœnam ad singulos extẽdit his verbis, Si incitauerit te frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor quæ est in sinu tuo, aut proximus quem habes quasi animam tuam, secretò dicẽs, Eamus, & seruiamus diis alienis, quos nec tu nouisti, nec patres tui: non acquiesces ei, nec audies eũ, non parceret ei oculus tuus, nec ei propitius erit, vt occultes eum. Quin potius occidendo occides eum; & manus tua prima sit vt illum interficiat: deinde manus totius populi: opprimes autem eum lapidibus donec moriatur. Eant nunc, & crudelitatis Deum accusent, quibus instar leuis, & venialis delicti est à pura fide, & Dei cultu

defectio. Cæterum antequam vltra progredimur, duo notare operæpretium est. Neque enim religionem, qualiscunque tandem sit, tam seuerè conseruat, ac sancit, sed quam verbo suo instituerat. Deinde lapidationis pœnam in exteros nõ edicit, sed qui Legis doctrinã professi, perfidè ab ea descuerint. Ita tollitur offensio quæ multos imperitos fallit, dũ metuunt ne hoc prætextu ad sæuendum armètur Papæ carnifices. Nam si Dominus populo suo certam pietatis regulam antè patefecit quàm pœnis subiiceret apostatas: quisnam mortaliũ sumere hoc sibi audebit, vt doctrinæ genus suo, vel alterius arbitrio confictum, gladio & pœnis sanciat? Ergo nõ vaga & cæca potestate instruimus Magistratus, vt eorum præsidio sine delectu recepta quæuis religio in statu suo maneat: sed tenendam esse contèdimus Legè diuinitus præfixam, vt compertæ veritati succedat demum pœnarũ sanctio. Quare non est quod sibi blandiantur errorum patroni, qui in fundendo innoxio sanguine, stulto suo zelo & ignorantie indulgent, vel saltem inquisitionis onus in alios reiciunt, vt sibi ex alienis respõsis sanctos Christi martyres crudeliter interficere liceat. Adhæc, soluitur quorundam obiectio, qui rogant an gladio adigendi sint ad Christi fidẽ Iudæi, Turcæ, & similes. Neque enim promiscuè in omnes gladium stringi iubet Deus, sed apostatas, qui se impiè alienauerint à vtro cultu, & alios ad similem defectionem trahere conati fuerint, iustæ pœnæ subiicit. Nũc verò quisquis hæreticis, & blasphemis iniuste pœnam instigi contendet, sciens, & volens eodem se obstringet

blasphemiae reatu. Hic nobis non obtruditur hominum autoritas, sed Deum audimus loquentem, & quid Ecclesiae suae in perpetuum madaet, non obscure intelligimus. Non frustra humanos omnes affectus excutit, quibus molliri corda solent: paternum amorem, quicquid est inter fratres, propinquos, & amicos benevolentiae faceffere iubet: maritos reuocat a thori blanditiis: denique homines propemodum natura sua exuit, nequid obstaculi sanctum eorum zelum moretur. Cur tam implacabilis exigitur seueritas, nisi ut sciamus non haberi suum Deo honorem, nisi quae illi debetur pietas, humanis omnibus officiis praefertur: & quoties asserenda est eius gloria, propemodum ex memoria nostra deletur mutua inter nos humanitas? Adde quod eadem poena paulopost integras vrbes constrigit, Si audieris in vna vrbiu tuaru, quas tibi Dominus ad habitandum dabit, egressos esse filios Belial in medio tui, & auertisse incolas vrbis suae, dicendo, Eamus, & seruiamus diis alienis: quare sollicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris veram esse famam, statim percuties incolas vrbis illius in ore gladii, & delebis eam, & quaecumque in ea sunt vsque ad pecora. Supelletilè eius congregabis, & exures, ut anathema sit. Videant isti misericordes, quos tantopere impunita haeresicon licetia delectat, quam male sibi coueniat cum Dei madato. Ne Ecclesiam Dei immodicus rigor infamet, vellat in vnius hominis gratiam impios errores impune grassari: Deus autem ne totis quidem populis ignoscit: funditus deleri iubet vrbes, & earum aboleri memoriã, trophaea denique erigi in signum execrationis, ne totam terram occupet contagio, ac

Deut. 13. c. 12.

„ strigit, Si audieris in vna vrbiu tuaru, quas tibi Do
 „ minus ad habitandum dabit, egressos esse filios Belial in
 „ medio tui, & auertisse incolas vrbis suae, dicendo, Ea-
 „ mus, & seruiamus diis alienis: quare sollicitè, & dili-
 „ genter rei veritate perspecta, si inueneris veram esse fa-
 „ mam, statim percuties incolas vrbis illius in ore gla-
 „ dii, & delebis eam, & quaecumque in ea sunt vsque ad pe-
 „ cora. Supelletilè eius congregabis, & exures, ut ana-
 „ thema sit. Videant isti misericordes, quos tantopere

dissimulatio ipsa sceleris sit, ac culpæ societas. Nec
 mirū. ponitur enim hîc crassa à Lege Dei, & proba-
 tis eius oraculis defectio, quæ diuina & humana iu-
 ra violat. Neque enim quū Magistratus tuædæ reli-
 gioni custodes præficimus, corū acuius gladios
 vt de quolibet errore pœnas sumpturi, mox ad san-
 guinē profiliant. Scimus enim tres esse errorū gra-
 dus: & quibusdā fatemur dādā esse veniā, aliis modi-
 cā castigationē sufficere, vt tātū manifesta impietas
 capitali supplicio plectatur. Fideles sapius Paulus
 hortatur vt se inuicē tolerēt, quāuis aliqua sit inter
 eos dissensio: nēpe si qua leuis superstitio & inscitia
 simpliciū mētes occupat, vt eam patiētia corrigere
 potius studeant quā intemperāter ad vindictam
 efferueant. Secundū errorū genus etsi castigationē
 meretur, medioeris tamen adhibenda est seueritas:
 tantum ne indulgētia alatur eorum improbitas &
 contumacia qui fidei vnitatē scindere cuperēt. Sed
 vbi à suis fundamētis conuellitur religio, detestan-
 dæ in Deum blasphemix proferūtur, impiis & pe-
 stiferis dogmatibus in exitu rapiūtur animæ: deni-
 que vbi palām defectio ab vnico Deo, puraque eius
 doctrina tētatur, ad extremum illud remedium de-
 scēdere necesse est, ne mortale venenū longius ser-
 pat. Hanc regulā, quā ex ore Domini aliis præscri-
 psit Moyfes, fideliter ipse sequutus est. Quā man-
 sucto fuerit ingenio, apparet ex tota vitæ historia:
 & Spiritus sanctus illustre huius virtutis testimo-
 nium ei reddit. Iudex iam quā humaniter in aliis
 criminibus puniendis se gesserit, constat: in vin-
 dicando autem Dei cultu totus ardet. Consecrate,

Exo. 32. f. 29.

» inquit, manus vestras Domino: nemo fratri suo, vel
 » propinquo ignoscat: ut quisque obuius fuerit, sine
 » venia occidite. An putam^o subito furore correptū,
 ita solitæ clementiæ tunc oblitum fuisse ut sacros
 Leuitas sanguine madefieri iuberet? Imò Spiritus
 Dei quod suo ductu gestum erat & auspiciis, elo-
 gio etiam suo commendat. Ergo ut in aliis omni-
 bus peccatis laudabilis sit clementia, seuerè impie-
 tatem quæ Dei cultum euertit, sanctis Iudicibus vl-
 cisci necesse est, ne hominum offensas stultè miti-
 gando, Dei ipsius iram in se prouocent.

Sed quidam hunc ordinem regno Christi quod
 spirituale est, & præsentī seculo congruere negant:
 quia nusquā in Euangelio Iudicibus detur tale mā-
 datum. Ergo quia disertis verbis Christus, & Apo-
 stoli non præcipiunt quo pœnæ genere digna sint
 adulteria, & furta, ideo cessabunt à suo officio Ma-
 gistratus? Siquis excipiat, quia Christi aduentu abo-
 litæ non sunt politiæ, sumendas esse de maleficiis
 pœnas, ut legibus sunt constitutæ: nempe huic re-
 spōso libèter subscribo. Nullos fuisse Magistratus
 quibus præciperent Apostoli quid rectum esset, di-
 cere supersedeo. Hoc vno cōtentus sum, Christi ad-
 uentu nec mutatum esse politicum ordinem, nec de
 Magistratum officio quicquam detractum. Age-
 dum, quod Paulus docet non frustra ab ipsis gladiū
 gestari, an ad speciem vnam restringi debet: Fatētur
 isti quibuscum nunc discepto, ad alia crimina ple-
 ctenda Iudices diuinitus esse armatos, modò à reli-
 gione abstineant, ut liberè ipsis tacētibus impietas
 lasciuat. Verūm reclamationibus innumeris locis Spiri-

tus sanctus, qui sub Christi Regno sana doctrina, & legitimi cultus patronos, ac vindices fore Reges pronuntiat. Quando David Principes omnes ad osculandum filium hortatur, quid potius ab illis exigit, quàm vt sanam doctrinam suo præsidio defendant? Quum toties dicit venturos esse vt Christo tributum offerant: quid aliud intelligit quàm puræ adorationis præsidios futuros, piæque doctrinæ custodes?

Quomodo etiam illud Iesaiæ vaticinium implebitur, Ecclesiæ nutritios fore, nisi ad tuendum pietatis statum potentiam suam conferant? Ergo, quin pius, sanctisque Magistratibus ex Dei mādato regni Christi defensio incumbat, minimè ambiguum est. Accedit iam Pauli suffragium, quo scrupulus omnis eximitur. Solennes in Ecclesia preces cōcipi iubet pro Regibus, & omnibus qui honore, & potentia excellent. Quorsum? Vt quietam, inquit, & trāquillam vitam agamus. An hoc dūtaxat? Imò, cum omni pietate & temperantia. Si tantum modestiæ, vel temperantiæ facta esset mentio, aliquid forte coloris prætenderet qui à Principibus religionis causam attingi nolūt. Sed quum hoc nominatim illis munus assignet Paulus, vt Deum ritè colendum procurent: quantæ, obsecro, temeritatis est, iniuncta diuinitus potestate illos exuere? Duo hic obseruare operæ pretiū est. Neque enim priuatos homines instituit Paulus, vt se Deo addicāt, sed de publica principum functione differit, quatenus in solio locati sunt, & gladio instructi ad regendum humanum genus. Deinde, illorum munus non solum in tuendo cuiusque iure constituit, sed ad fouendam pietatem ordinatos

esse docet. Vnde sequitur, gladium in eorum manu esse depositum, quo sanam doctrinam propugnēt. Quod præstare nequeunt, nisi impias corruptelas pœnis cohibere liceat. Desinant ergo indocti homines, & parum considerati negare de veræ doctrinæ corruptoribus sumendas esse pœnas, nisi palâ Deo obstrepere velint.

Verùm quicquid de iure Magistratuū probatum sit, me propria inuidia, qua grauior apud multos, nō leuat. Nihil minus decuisse aiunt, quàm vt Seruetum professis Christi hostibus quasi immanibus bestiis obiicerem. Mea enim opera factum fuisse affirmât, vt Viennæ in prouincia Lugdunensi captus fuerit. Sed vnde mihi tanta cum Papæ satellitio repenti familiaritas? vnde etiam tanta gratia? Scilicet credibile erit literas inter eos vltro citrôque volitare, quibus nō minus est inter se dissidium quàm Christo cum Belial. Quare pluribus verbis tam futilem calumniam refellere nihil attinet, quæ simplici negatione fracta concidit. Iam fluxerūt anni quatuor ex quo hâc de me fabulam commentus est Seruetus ipse, & spargendam Venetiis curauit. Quanquam odiū me mihi de nihilo malignè cōflare voluerit, an falsò suspicatus sit quod scribebat, non disputo. Tantū quæro: si iam tunc meo iudicio proditus fuerat, qui factum est vt triennium quietus & sine molestia ante hostium oculos transigeret? Certè aut concedant necesse est, confictum fuisse de me crimē: aut plus sancto suo martyri fauoris fuisse apud Papistas, quàm vt illi mea accusatio quidquā noceret. Nec verò si verè id mihi obiicerent, putarem esse negandi causam, qui non dissimulo, me authore factum esse vt in hæc

vrbe deprehensus ad causam dicendam postularetur. Obstrepat licet vel maleuoli vel maledici homines, ego libenter fateor ac praefero (quia secundum Urbis leges aliter cum homine iure agi non poterat) ex me prodisse accusatore: nec inficior meo consilio dictam esse formulam qua patefieret aliquis in causam ingressus. Caeterum quid mihi tunc fuerit consilium, ex ipso deinde actionis progressu apparuit. Simul enim ac vocati sumus ego & collegae mei, minimè per nos stetit quominus placidè nobiscum de suis dogmatibus conferre liberum illi esset. Imò perinde accessimus acsi ex vinculis reddenda esset doctrinae nostrae ratio: ac siquid obiiceret, testati sumus nos ad respondendum paratos esse. Quum plenis buccis conuitia subinde in me euomeret, quorum Iudices ipsos pudebat ac pigebat: ab eius insectatione abstinui. Adde quòd nullum instabat grauioris poenae periculum, siquo modo fuisset sanabilis. Atqui tantum absuit à quaerenda moderatione, ut iactantiae & ferociae plenus, sana omnia & utilia consilia petulanter respue- rit. Porro quàm absurdae execrandaeque blasphemiae illi inter loquendum exciderint, alibi fortè opportunius dicitur. Hoc tantum in praesentia testatum volo, me non ita capitaliter fuisse insectum quin licitum fuerit vel sola modestia, nisi mente priuatus foret, vitam redimere. Sed nescio quid dicam, nisi fatali uersania fuisse correptum, ut se precipitem iaceret. Nam quum post octo dies iterum essem productus, & libera conferendi nobiscum illi daretur facultas, se tristitia & curis impediri praetexuit: libros tamen quoscumque petierat, partim ex mea bibliotheca, partim ab aliis,

commodato dederam. Itaque probabilis suspicio est alicūde vana fiducia inf latum fuisse, quæ illum perdidit. Excipiet forte quispiã, cur vltra Pauli mandatum progressus sim, qui desperatos quoque hæreticos Timotheo solum vitandos esse scribit. Atqui mihi in promptu est excusatio: mihi satis fuisse, hominem, cuius deplorata impietas mihi nota erat, vitare: & alios monere vt idem facerent: sed illa cauēdi prudentia neque me, neque alium quemlibet fuisse impeditum, quominus quisque piorum coercendum pro oblata sibi facultate curaret. Idem Apostolus qui tantum à congressu hæretici Timotheū prohibet, se Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidisse palàm asserit, vt discerent non blasphemare. Si tunc Paulo ad manum fuisset pius Magistratus & strenuus gloriæ Christi vindex: ego quidem non dubito quin illis puniendos libenter daturus fuerit, quos permessa sibi diuinitus castigatione in ordinē cogeat. Neque enim quod mihi & omnibus Verbi ministris præscriptum est, Iudices constringit ac ligat ne munus sibi diuinitus iniunctum exerceat: ac ne mihi quidem obstat, vt eorum præsidio fideique Dei veritatem vbi ita opus est, commendem.

Iam si quis hominem tam pestiferum fuisse non putat vt tollendus fuerit è medio: hoc quoque errore sobrios & dociles breuiter expediã. Duas esse causas sani omnes concedent, cur puniendis falsorum dogmatum authoribus maior adhibenda sit seueritas: si indomita sit eorum cōtumacia, vt reprobis, & à seipsis damnati nocere pergant: deinde, si detestanda sit ac minimè tolerabilis errorum impietas. Nūc

an in Seruetum vtriusque criminis poena iure com-
petat, videndum. Quam indocilis fuerit ac perui-
cax, nō disputabo pluribus verbis. Tantum lectori-
bus specimen dabo vnde certū de hominis ingenio
iudicium faciant. Narraui iam initio, me aliquando
tentasse nunquid reduci ad sanam mentem posset.
Omnia persequi longum esset, ac tædio plenum. Lu-
gduni quum esset, tres mihi quæstiones quasi illu-
dēs, soluendas misit. Quod illi nō satisfecit mea re-
sponso, miratus non sum. Verū quia eum licet pla-
cidè, paulo tamen acrius quàm ferebat eius natura,
admonui vt se temperatius gereret: nunc ex re ipsa
statuant lectores, an non seipsam, vt fecit, furiose vl-
ciscens, incurabilem morbum prodiderit. Quæ huc
inferam, bona fide ex eius manu sumpta librarii ty-
pis mandarunt. In meis quoque responsonibus ne
syllabam quidem mutauī. Modestiam meam bonis
omnibus probatum iri confido: nisi quod mollities
potius videbitur. Ipse vero quasi hippomanes hausit
set, quoscunque meos libros nancisci potuit, nō desti-
tit infulsis conuitiis sarcire, vt nullam paginā à suo
vomitu purā relinqueret. Mihi interea nihil melius
visum fuit quàm tacere. Sciūt etiam familiares mei,
non magis quàm asini ruditu, me fuisse commotū.
Doctrinæ genus quale sit, & quàm validæ sint vel
infirmæ refutationes meæ, nōdū excutio. Tantum
in præsentia attendant lectores, qua materia, & quo
flabello tā desperata in homine rabies accēsa fuerit.

Tres quæstiones Iohanni Caluino propositæ à Michaele Serueto.

Prima quæstio.

AN homo Iesus crucifixus, sit filius Dei : & quæ sit huius filiationis ratio.

Secunda.

An regnum Christi sit in hominibus: quando quis ingrediatur, & quando regeneretur.

Tertia.

An Baptismus Christi debeat in fide fieri sicut Cœna : & quorsum hæc instituta sint fœdere nouo.

Iohannis Caluini responsio.

Ad primam quæstionem.

Nos verò Iesum Christum, hominem illum qui crucifixus est, credimus & confitemur esse filium Dei. Alioqui non vocaret illū Paulus Dominū gloriæ: nec Thomas Dominū ac Deū suum: nō concionaretur alibi Paulus, Ecclesiā, Dei sāguine acquisitā.

Rationem huius appellationis hanc docemus, quòd Dei sapientia ab æterno Patre genita ante tēporis initium, postquam carnem nostram induit, Deus fuit in carne manifestatus: quemadmodum Paulus docet. Ergo Christum, etiam secundum suā humanitatem, agnoscimus esse filium Dei, sed ideo quòd Deus est. Locutiones habemus in vsu, quæ breuiter & dilucidè sensum nostrum exprimunt. sed ab illis data opera abstinco, ne occasionem præbeāt offēdiculi. Omissa igitur verborū pugna, tantū ipsa de re videamus. Paulus, vbi docet Christum ex femine Dauidis genitum esse, & ex Iudæis duxisse originem, mox adiungit, Secundum carnem. Ergo sicuti Christus ratione humanæ naturæ filius Dauidis nominatur, ita etiam ratione diuinitatis filius est Dei. Vnustamē est Christus, non duplex, filius Dei & ho

minis. Aliud enim est distinguere, quam discerpere. Tu Christum fateris esse filium Dei: sed unitatem non admittis, nisi in confusione. Nos autē, qui filiū Dei femimus esse fratrem nostrum, vt ita sit verus Immanuel, agnoscimus tamen in vno Christo Dei maiestatem, & humilitatem hominis: essentiā æterni Dei, & naturā hominis creatā. Tu illas miscēdo, vtranq; destruis. imaginari enim Deum in carne manifestatū, cuius diuinitas sit ipsa caro: cuius humanitas sit ipse Deus. Atqui vnum esse oportet. Quasi verò nos unitatem tollamus in homine, quā à corpore animam distinguimus. Alibi quoque Paulus de Christi exinanitione docēs, præfatur non fuisse ducturum pro rapina, si æqualitatem cum Deo præ se tulisset: tamē sponte se ipsum humiliasse vsque ad mortem crucis. Nego aliquid de gloria diuinitatis fuisse imminutū: sed quia in carnis infirmitate obscura & contempta delituit, Christus ipse, qui vnus est homo & Deus, dicitur exinanitus fuisse. Neque enim hoc referri vel ad diuinitatem, vel ad humanitatem commodè potest, sed vtranque simul Paulus complectitur, quia non duplicem faciunt Christum, sed vnum duntaxat cōstituunt. Qui mediocriter versati sunt in Scripturis, agnoscunt hanc genuinam esse phrasin Spiritus sancti. Qui religiosè cogitant de redemptionis nostræ arcano, suauissimam consolationem percipiunt quā audiunt Christum duabus ita naturis cōstare, & quidem distinctis, vt tamen vnus sit: atque cum qui filius est Mariæ, simul & coniunctim esse filium Dei: & qui filius est Dei, filium esse eūdem Mariæ, vt frater noster sit, ac caro nostra: nos verò per

Philip. 2. a. 6.

ipsum Filii Dei.

Ad secundam quæstionem.

Regnum Dei incipere in hominibus sentimus quando regenerantur. Tunc autem regenerari dicimus, quando illuminantur: in Christi fidem reformatur in obedientiam Dei ipsorum corda: & in summa, quando in ipsis instauratur Dei imago. Sed regenerationem nego momento perfici: satis est si quotidianos faciat progressus usque ad mortem: ut summa excellentia in hoc mundo sit, tamen cum profectu coniuncta. Hinc etiam sequitur, inchoari dumtaxat regnum Dei in nobis: quoadiu hic vivimus novis quotidie incrementis augeri: perfectionem autem eius hic non extare. Plena est Scriptura testimoniis ad hanc rem probandam: à quibus superfedeo, ne laborando in rei claræ probatione sim ridiculus. Neque in singulis tantum hominibus Scriptura regnum Dei promoueri docet: sed ætatibus etiam attribuit augmenta. Quemadmodum Paulus, dum veterem populum nobiscum comparat: dicit nos adoleuisse in iustam ætatem, pueros fuisse qui sub Lege vixerunt. Utrosque tamen filios esse testatur, & hæredes, & liberos, & Spiritu libertatis præditos, cuius auspiciis inchoatur & impletur in nobis Dei regnum. Deinde alteram quoque exceptionem adhibemus, quod nunc per spem ingressi in regnum Dei, realem, quam vocant, possessionem olim cernimus: hoc est, quod nunc spe obtinemus, re ipsa Christus fruendum exhibebit vitimo suo aduentu. Neque hoc membrum dubium esse debet inter eos qui se aliquid in Sacris literis legisse profitentur. Itaque non satis assequor quor-

sum tendat hæc quæstio.

Ad tertiam.

Non negamus quin Baptismus fidem requirat: sed non qualis requiritur in Cœna. fides enim relationem semper ad Dei promissionem habet. Ideoque eius natura pendet ac æstimanda est ex natura promissionis. Promissio Baptismi est, Ero Deus tuus, & Deus seminis tui. Promissio Cœnæ est, Quisquis ederit panem hunc, & biberit ex calice celebras memoriã mortis Christi, vt decet, particeps erit corporis ipsius & sanguinis. Nullũ fore Baptismi vsum sentimus, donec fide apprehendatur hæc promissio. Verũ non sibi quisque tantũ, sed pariter soboli suæ apprehendit: imò omnes in commune amplectimur gratiam illã Ecclesiæ oblatam. Si neges talẽ promissionem inueniri, quæ in Baptisum cõpetat: mihi abunde sufficit vnus locus, vbi Petrus eã quæ Abrahæ in Circuncisione data fuit, extendit ad tẽpus Noui testamenti, Ad vos, inquit, & filios vestros pertinet hæc gratia. estis enim hæredes promissionis. Cui sententiæ suffragatur ista Pauli, Christus minister est Circuncisionis, ad implendas promissiones quæ Patribus datæ fuerant. Gentes autẽ super misericordia glorificate Deum. Postquam Iudæis stabilivit suam possessionem, Gentes quoque in societatem illis adiugit. In Cœna exigitur à singulis propriũ examẽ, & propria fides. Neque verò aliud hodie discriminis statui mus inter hæc duo Sacramẽta, Baptisum scilicet & Cœnam, quàm inter Circuncisionem & Pesah olim fuit. Sed nolo esse prolixior. Qui enim prudẽter analogiam, quam dixi, inter fidẽ & promissiones expen-

det, huic doctrinæ non difficulter assentietur. Quòd autem deinde rogas, quorsum instituta fuerint symbola Baptismi & Cœnæ in fœdere nouo: breuiter respondeo, Baptismo nobis adoptionem nostram obsignari, vt censeamur inter Dei filios: sacra Cœna Deum boni patristamiliâs officium peragere, nos alendo, postquam in eius domum sumus recepti. Neque me latet quæ obiectari contra soleant. Sed quia mihi videor omnibus obiectis alibi satisfecisse, sufficientem explanationem inde peti malim. Siquid deest, paratus sum adiciere, si fuero admonitus.

Solutionum refutatio à Serneto missa.

Ad primam quæstionem De filio Iesu.

Hominem Iesum crucifixum mecum fateris esse filium Dei. Filiationis huius rationem non dicis esse, quòd homo ipse sit genitus à Deo, sed quòd sit res alia genita, quæ carnem induit. Ad assumpti probationem solum citas allegoricum dictum de Sapientia genita: idque ex Ecclesiastico, qui etiam Sapientiam ait esse creatam. Si huic dicto vis esse auctoritatem, perpende esse allegoricè scriptum, in umbra & præfiguratione rei futuræ. Alioquin improprie tibi dici quid in Deo creatum vel genitum. Siquid erat olim realiter genitum, id erat filius incorporeus. Vnde non solum discerpitur Deus, sed & duo filii manifestè docentur, alter corporeus, alter incorporeus. Deinde rem ipsam clarius ostensurus, citas Paulum, qui Christum ait esse genitum ex semine Davidis secundum carnem. Vnde infero, Ergo sicuti Christus ratione humanæ naturæ filius Davidis nominatur, ita etiam ratione diuinitatis filius est Dei. Verè quidem. sed natura ipsa humana non dicitur filius: ergo nec natura ipsa diuina dicitur filius. Vides qualiter tuo gladio te iugulas. Tres quoque nobis filios facis: natura humana est tibi filius: natura diuina est tibi filius: & totus ipse Christus filius. Ego ingenuè tibi fateor, Christum ipsum ratione humanæ naturæ esse filium Davidis: sed naturam ipsam humanam non esse filium. Christum quoque fateor ratione diuinæ naturæ esse filium Dei, sed naturam ipsam diuinam non esse

se filium. Tu es filius patris & matris, tamen id quod habes à patre non est seorsim filius, nec id etiam quod habes à matre: licet eorum ratione tu sis filius. Hæc est summa totius rei, hoc vnum supplex oro, vt me ratione vel autoritate aliqua doceas, deitate illam quæ est in Christo, esse filium.

Ad 11, De regeneratione & regno Christi.

Regenerationem tecum fateor non momento perfici, incipere tamen certo tempore, idque in homine doctrinæ Christi capere. Sed quare non adiecisti, regenerationem hanc esse ex aqua & Spiritu sancto? Si hoc adiecisses, & pædobaptismum improbasses, & regnum Christi verum aperuisses. Nam pædobaptizati nõ regenerantur ex aqua & Spiritu sancto, vt tu ipse fateris. Si regeneratio est è cælo, nõne per regenerationem est introitus in regnum cælorum? Intraui nunc in regnum Christi per fidem in Spiritu: intraui & per spem, scilicet spẽ maioris gloriæ postea reuelandæ. Tu solam ferè habes spem, quã tamẽ magna sit gloria hæreditatis Christi in Sanctis eius, vt tales nos simus nunc in mundo hoc, qualis Christus ipse est in cælis, teste Iohãne. Iudæos tu semper nobis obrudis, non animaduertens, eos Scripturis omnibus declarari carnales, filios carnis, hæredes carnalis hæditatis, & rei perfectioris vmbra.

Ad 111, An Baptismus in fide fiat, sicut Cœna.

Promissio illa, in qua tuũ pædobaptismum fundas, Ero Deus tuus, & seminis tui post te: in Circūcisione facta est, vt ipse citas. Sed an in paruulis nostris illa cõpleatur, nõ in illis quos Christus circuncidit circuncisione cordis, circūcisione Spiritus? Videris de semine Abrahæ secũdum carnem, & de filis carnis, carnaliter & Iudæicè sentire, citans id quod Petrus ait, Vobis facta est promissio, & filiis vestris, quoscunque vocauerit Dominus. Vide quod ait, Quoscunque vocauerit Dominus. Vide quòd illi sunt filii, & illi soli cõsentur semen Abrahæ, qui ingrediuntur via fidei, vt clarè docet Paulus. Sinistrè ergo tu ad tuos paruulos promissionem detorques. Tecũ pugnas, faciens paruulos carnales participes promissionis spiritualis. Figmẽtum Papisticũ est, quòd in alterius fide alter baptizetur. Res de solo titulo est quod ais, Baptismo signari paruulis adoptionem, & censerì filios Dei. I mò filii sunt iræ, donec crediderint. An iustificatos putas paruulos ita obsignatos? Paulus enim omnes qui per Baptismum sunt cum Christo mortui, ait esse iustificatos, idque ex propria fide. Si-

quam in paruulis vis esse obfignationem, manuum impositione & oratione cū Christo vttere. Ora pro eis vt interim ab occurſu malo ſeruentur. Ita ſe habere ais Baptiſmum & Cœnā, ſicut ſe habebant olim Circunciſio & Peſah. Quare ergo paruulum baptizatum non admittis ad Cœnā, ſicut olim Circunciſus admittebatur? In Cœna cōcedis eſſe veram promiſſionē hanc, Qui manducauerit panem hūc, & calicem biberit, particeps erit corporis & ſanguinis Chriſti. In Baptiſmo quoque cōcedere debes eſſe veram promiſſionem hanc, Qui natus de ſuper fuerit, ex aqua & Spiritu, intrabit in regnū cælorum. Quando autem hæc fiunt, vt quis intret, manducet, & Chriſti particeps fiat? Annō hic æquiparantur ſymbola hæc? Rogo te per Deum, poſtquā pollicitus es te paratū reliqua adiicere, ſi fueris admonitus, doce me primò quæ eſt vera fides, & qualiter illa à Spiritu regenerationis viuificetur. Secundò, an ſine promiſſione poſſit quis iuſtificari. Tertio, qualis ſit internus homo, nō ex ſanguinibus genitus, ſed ex Deo. Quarto, quis eſt homo ille qui à Chriſto alitur in Cœna, an verè, an imaginariè. Quintò, quæ ſit gratia aduentus Chriſti. Annon eoſque regnauit morſiannon patres omnes fuerunt antea in inferno? Demū te precor, ne graueris iterum legere quarum librum de Baptiſmo. nam videris cum nondum legiſſe. Deus miſereatur noſtri. Amen.

Altera Caluini reſponſio.

De prima quæſtione.

Quòd Chriſtū ideo filium Dei eſſe & nominari dico, quia ſermo Dei ſit ex Patre ante temporis initium genitus, qui carnem noſtram induit: hanc rationem ſuſcipis impugnandam.

Dum autem teſtimonia vis reſellere, quibus vſus fueram ad id probandum, fingis me ex Eccleſiaſtico locum protuliſſe, cuius nunquam venerat in mentē. Potius ad octauū caput Prouerbiorū reſpexi. quam nullius loci mentionē fecerā in meo reſpōſo. Ergo ne fruſtra te fatiges, mihi ſatis eſt, ſi concedas Chriſtum antequā homo fieret, fuiſſe æternum Dei

sermonem. Id negas in scriptis tuis. nam imaginariis Sermonē tunc cœpisse quum Deus sententiā suam de creando mundo pronūtiavit. Hoc verò nimis absurdum est deliriū. Quasi verò aut Deus aliquid tunc esse cœperit quod nondum erat: aut sermo ipse non sit vere Deus. Atqui nunquam sanis mentibus hoc principiū excuties, quod ex perpetua Scripturæ doctrina abunde testatum habent, Christum qui nunc est Deus in carne manifestatus, semper fuisse Dei sermonē à Patre genitū. Quod de loquutionis imprietate obicitis, mihi nō obstat. Libēter enim fateor, nihil satis exactè pro rei dignitate linguam humanā posse hic effari. Verūm nobis vitio verti non debet, si ex ore Domini sapimus.

A Eternam tamē Christi geniturā refutas hoc argumento, quia siquid realiter erat ex Deo genitum, inde sequitur duos esse Dei filios: alterum corporeū, alterum incorporeum. Quasi verò mihi non liceat antistrephon in te retorquere. Sermonem Dei fatearis aliquādo fuisse incorporeum, qui nunc factus est caro. Siquis aduersum te inferat, duos te facere Dei sermones, nōne eadem erit ratio cinatio: Porro clamares tibi fieri iniuriā. Noli igitur tibi placere tam futilibus calumniis. nos enim eundem esse Dei filium prædicamus qui ab initio incorporeus, tādē corpore vestitus fuit: & ita caro factus.

Postea amplificandæ calumniæ causa, vltrà progredieris: me tres facere Dei filios: quia natura humana sic mihi filius, natura diuina sit filius, & totus Christus etiā filius. Atque hic triumphabundus exultas, me iugulatum esse proprio gladio. Ego verò respō-

deo cum propriis commentis te cōfligere, non cum
mea doctrina. Neque enim alium fuisse Dei filium
affirmo, quā qui filius est Mariæ. Nā qui sermo Dei
æternus fuit, cum, ratione diuinitatis, prædico filiū
Dei: ratione humanitatis, filium hominis. Diuersus
tamen respectus vtriusque naturæ non facit duos fi-
lios Dei. Nam totus Christus, quatenus Deus est &
homo, filius Dei est ac hominis. Nam ita distingui-
mus naturas, vt retineamus personæ vnitatem.

Similitudo quam adducis, merito censerī potest
gladius quo te iugulas. alio enim respectu patris mei
sum filius quā matris. neq; tamen in duos homi-
nes diffluo, licet duplici relatione bis sim filius. Tā-
et si hoc simile in præsentī causa nequaquam admit-
to. corpus enim à patre & matre habeo, Christus au-
tem à sola matre corpus habuit. Aliud est quā cor-
pus, quod dicimus à Deo fuisse genitum.

Nūc rogas vt te vel autoritate, vel ratione doceā,
deitatem quæ in Christo est, esse filium. Mihi vna
hæc ratio sufficit, quòd Deus ab initio, fideliū pater
fuit, ac nominari voluit. Patrem vero hominū esse
nego, nisi per vnicū filium. inde enim nos adoptione
filii, quia ille natura. Si ad vulgare illud tuum asy-
lum confugis, prædestinatione olim fuisse filium,
qui re ipsa nō erat: rursus excipio, patris appellationē
fuisse antè reuelatā mūdo, & realiter exhibitā, quā
sermo Dei caro fieret. Hac inquā fiducia Deū patrē
inuocarunt omnes Patriarchæ & reliqui fideles, q̄
hypostasīn habebant suæ in Filio Dei adoptionis.

Autoritates Scripturæ, quibus id penitus cōfirma-
tur, satis perspicuas esse iudico: vtcūque tibi infirmæ
videantur. Paulus testatur, Christū esse filiū Dauidis,

& ex Iudæis ducere originē, respectu humanitatis. Ex aduerso colligo, ratione diuinitatis esse filium Dei. Audio quid tu cōtrā: sed nihil moueor. nā sicuti à matre accepit, cuius causa filius Davidis vocatur: ita mihi cōcedes, à Patre habere, cuius causa sit filius Dei, idque ab humana natura esse aliud ac diuersū.

Sed de tēpore quæritur quod humanitatē præcessit. Dico plenā esse Scripturā testimoniis quæ diuinā Christo essentiā tribuūt, quū nōdū homo esset. Neque sunt etiā permulta quæ in Christi persona discretē humanitatē à diuinitate distinguāt. His ego nō temerè sum cōtētus ad probandā mihi æternā illi⁹ generationē. Nec video quid te illis acquiescere prohibeat, nisi quòd iā præsumptis opinionib⁹ ita es inebriatus, vt nihil cernas. Christū, antequā homo fieret, Deū fuisse, ne tu quidē negas. Nūc addo, aliū fuisse à Patre: quod abs te negari scio: sed parū verecūdē. ^{2^o} enī, quē Iohānes Deū prædicat, testatur apud Deū fuisse ab initio. Et Christus ipse, eadē se gloria illustrari in carne postulat quā habuerat sēper apud patrē. Neque hīc testimonia colligere propositū est, sed hæc tantū admonendi causa obiter attingere volui.

Nūquā certè efficies quin sermo Dei semper fuerit hypostasis distincta, & natura in Dei essētia subsistēs, seu quocunq; alio nomine appellare libuerit. Nā de vocabulis litem nō moueo. Sermonē illum ex Deo ante tēpus genitum, dico carnē induisse, vt verus sit Deus & verus homo: ac naturæ illius diuinæ respectu appellari Dei filiū. Hoc respōsum cū priori si diligentius paulo expēderis, habes (nisi fallor) quo tibi satisfiat.

De secunda quæstione.

Regenerationem negas inchoari, nisi in homine

doctrinæ capace . Ego autem non alligo Spiritum Dei , quin suam potentiam ad paruulos quoque extendat. Video in Iohanne Baptista peculiarem Spiritus effectum antequam per ætatē doctrinæ capax esset. Vnum hoc specimen, nos Dei gratiam ad ætates restringere prohibeat. Ego autem de paruulis nihil memineram: quia non arbitrabar id te querere. nunc demum intellexi quorsum tenderes.

Respondeo igitur, locum illum intēpestiuè abs te citati, quòd nos renasci oporteat ex aqua & Spiritu. Nihil enim hoc ad Baptismū . sed metaphoricè nomen aquæ Spiritui adscribitur : quæadmodum alibi ignis. Quid est In Spiritu sancto & igni: nisi In spiritu, qui idē ignis est: Ergo similiter Ex aqua & Spiritu interpretabimur Ex aqua mystica, quæ nihil aliud est quàm Spiritus.

Et tamen nō video , quid vos pædobaptismi hostes, iuuet locus ille. nā si verba vrgeamus, Baptismus præcedere Spirit^o gratiā debet. Hoc tamē omitto: quia cauillis nō delector. Tātū indicare placuit, me illa interpretatione quā posui, noluisse quidquā effugere quod mihi obsit. Nā si tibi cōcessero, ex Baptismo & Spiritu regenerari homines: nego te obtinere quod intēdis, Baptismū paruulorū improbari. Verba enim sensu tuo accepta sonāt, Baptismo inchoari palingenesiā, Spiritu perfici. Sed aliam fuisse Christi mentē profus agnosco: ideo frustra mecum hoc te lo pugnas. Sumis confessionem meam: non regenerari paruulos Spiritu. Atqui perperam ad paruulos detorques, quod de adultis disserui. Aliter enim de his, quàm de illis loqui soleo: imò non ego, aut quis-

piam hominum, sed ipse Dei Spiritus. Quod ad me spectat, testimonium mihi ubique reddūt mea scripta, paruulos à gratiæ communicatione nequaquā à me arceri. Et cur ita sentiam, luculentam rationem reddo in mea Institutione.

Tua de fide & spe doctrina vagatur extra oleas. perinde enim loqueris ac si fides includeretur præsentī vita, spes futuri tantū status respectū haberet. Longè aliter Paulus, qui nos aspectu frui negat quādiu peregrinamur in hoc mundo, quia per fidē ambulamus. Itaque tam fides quā spes relationem habent ad futuram gloriam, & beatam immortalitē. Quanquam interea non nego quin per fidem potiamur præsentibus Dei beneficiis: qualis est regeneratio. Nō nego similiter quin eatenus ingrediamur in Dei regnum, adeoque iam transferimus à morte in vitam, quatenus Spiritu Christi renouati sumus.

2. Cor. 13. 5. 2. 4

Quòd autem me solam fere spē habere dicis, nimis improba est calumnia. Sed quia non deliro cum Libertinis de fictitia resurrectione, ideo tibi non satisfacio. Opponis autē mihi magnitudinem gloriæ hæreditatis Christi in Sāctis. Quasi verò eius possessionem iam creuerint Sācti. Paulus enim de futura gloria loquitur: quam fide quidem apprehendunt Sācti in hoc mūdo, sed re ipsa non adipiscuntur vsque ad diem vltimæ reuelationis.

Vbi, quæso, docet Iohānes, tales nos esse in mundo, qualis est Christus in cælis? Quin potius vbi dixit nos esse certos quòd filii Dei simus, continuo subiicit, nondum apparuisse: tunc verò similes ei futuros, quando videbimus eum sicuti est. Fateor sanè

nos ita contéplari nūc Deū in facie Christi, vt trássi-
guremur in ei⁹ imaginé. Hic enim finis est vitæ Chri-
stianæ, vt in nobis instauretur Dei imago. Sed quid
hoc totum vel tibi suffragatur, vel mihi repugnat?

Iudæos caufaris perperam à me identidem obtru-
di, quia vocentur carnales & filii carnis, & hæredes
carnalis hæreditatis. Obstueo certè ad tuam arro-
gantiam. Quid enim cōtinet locus ille Pauli quem
citaueram: nonne ornat eos titulo filiorū Dei? non-
ne eandem nobiscum hæreditatem, & eundem liber-
tatis Spiritum illis assignat? Tu verò ex alto pronū-
tias, hoc totum esse fabulosum. Quis tu es, vt cōtem-
pta Pauli autoritate, per quem scimus locutum esse
Christum, tuis commentis fidem habeamus? Annò
te pudet, Abraham nominare carnis filiū, qui in spi-
ritu vidit diem Christi, & exultauit? Carnalem tan-
tum hæreditatem relinquere sancto Iacob, qui inter
vltimos spiritus nihil quàm mortem habens præ-
oculis exclamabat, Salutem tuam expectabo Domi-
ne? Sed quid hīc longius immoror? Qui ad aliā hæ-
reditatem, vel ad aliud Dei regnum adspirat quàm
quò spectarūt Patriarchæ, cohæres sit diabolis. Nam
de electis dicitur quòd recumbent cum Abraham, I-
saac & Iacob in regno Dei. Tu verò quos mihi titu-
los recensēs, non animaduertis in degeneres & qua-
si adulterinos Iudæos conferri. Utinam aliquando
religiosius versari discas in Scripturis.

De tertia quæstione.

Promissionem istam, Ero Deus tuus, & seminis
tui, locum habere negas in patualis nostris, quia in
iis compleatur quos circumcidit Christus circumci-

fione cordis. ac si quis ita ratiocinaretur, Isaac non esse natum Dei filium, quia Abraham fide fuerit factus. Verum Dominus palam testatur per Ezechielem, omnes qui ex progenie Abraham erant, filios sibi nasci. Si cordis circuncisionem excluderet adoptio parvulorum, valeret tua ratio. Sed Domino permittimus arcanam gratiae suae dispensationem in parvulis, si ante eos euocet ex mundo, quam ordinario modo ipsos circuncidat.

Exprobras quod de carnali Abrahamae semine carnaliter & Iudaice sentiam. Paulo id exprobra, quem ego doctorem sequor. sic enim de foedere gratiae disputat nono & undecimo ad Romanos, ut illud residere asserat in vero & naturali semine Abrahamae. Ego certe non sum tam crassus, ut quicumque ex Abraham geniti sunt secundum carnem, censeari velim inter filios Abrahamae. Regnat enim libera Dei electio, quae legitimos filios discernit ab adulterinis: hoc est spirituales a carnalibus. Fateor quidem hoc prima facie videri absurdum, quod Deus promittat eius generis se fore Deum, in quo plures reprobis quam electis reperiuntur. Sed hunc nodum eleganter Paulus explicat. Postquam enim nono capite stultam Iudaeorum confidentiam retudit, qui in carne gloriabantur, ac docuit multos coram Deo reputari extraneos, qui ex Abraham genus ducunt secundum carnem, & rursus multos qui alieni fuerant, cooptari in numerum filiorum: tractauitque id totum pendere ab electione Dei gratuita: demum capite undecimo contendit, non esse tamen inanem promissionem Dei. Deum enim ita liberè eligere quos visum est, ut tamen effi-

d.ii.

caz maneat foedus illud quod Deus cum Israele pepigit. Conueniunt igitur hæc duo, Non omnes qui carnis originem trahunt ex Abraham, esse Abraham filios: & tamen non frustra dictum esse semini Abraham, Ero Deus vester: nec irritam esse gratiam foederis quo fidem suam Iudæis Deus obstrinxit.

Rom. 15. b. 8

Gene. 48. c. 16

Alioqui de nihilo Paulus alibi diceret, Christum esse ministrum Circūcisionis, ad implendas promissiones quæ Patribus datæ fuerāt. Rom. 15. Quò spe & abbat illa precatio Iacob, Inuocetur super eos nomen meum, &c. Genes. 48, Nihil enim profuisset eius posteris nomen illud, nisi quia secum trahebat foederis hereditatem.

Dum Petri sententiam excutere mihi conaris, nihil aliud proficis, nisi vt videam te pugnando magis intentum esse, quàm discendo, & simul cādorem homine ingenuo dignum in te desiderem. Quò adducis, Petrum de promissione Spiritus loqui, nihil ad præsentē causam. Status in hoc vertitur, Cur Petrus dicat promissionem ad Iudæos & filios eorum pertinere. Ad tergiuersandum arripis particulam quæ sequitur, Quoscūque vocauerit Dominus. Nisi tibi ex professo veritatem fugere, & impugnare decretū sit, breuiter ostendam procul te recedere à mente Petri. Dicit enim, Vobis primū facta est promissio, & filiis vestris. Cur illis primū? Népe quòd Iudæi essēt. primogenitura enim illis debita erat. Sequitur, Et iis qui longè sunt, quoscunq; aduocauerit Dominus. Vox ista Longè, nō significat loci distantia: sed longè esse dicit Gentes quæ erant à Deo alienæ. Quem admodum & Paulus loquitur 2 ad Ephesios, Qui

Ephes. 2. c. 13

quondam eratis longinqui, nunc propinqui facti estis per Christi sanguinem. Veniens enim euangelizauit pacē vobis qui procul aberatis, & iis qui propere erant. Locus memorabilis, Iudæos facit propinquos Deo, Gentiles remotos. Qua de causa: Reddidit paulo antè causam, quū dixerat Gentiles alienos esse à fœdere Dei, quia essent extra politiam Israelis. hanc enim prærogatiuam illis concedit Paulus; & 9 ad Romanos: quòd apud illos peculiariter deposita fuerint pactiones. Nunc ad orationē Petri redeo. Vbi primum gradū Iudæis attribuit, socios gratiæ, & consortes illis deinde adiungit: vt scirent Dei gratiam per omnes gentes spargendam esse: sed ita vt ordo ille obseruaretur quem Paulus notat, Iudæo primum, deinde Græco. Porrò Deus vocationem suā nondum in Gentibus auspicatus erat, quæ iandiu sonuerat in Iudæa. Promiscuè ergo Gentes quoque aduocandas in posterum, admonet. Vnde etiam illud Pauli ad Iudæos, Vobis quidē primum prædicandū erat regnum Dei: sed quia respuitis, ecce, cōuertimur ad Gentes. Cur illis primum? Nempe quia progenies erāt Abrahæ. Quinetiam altera concione idem confirmat, dum Iudæos nominat filios Prophetarum & Testamenti. Vides, opinor, te nequaquam tuis suffugiis elapsum esse.

Quòd per filios intelligis posteros, ne vnus tantūm seculi hominibus destinata videretur gratia, facile recipio. Atque id mecum facit, quòd Deus semini Abrahæ se Deū esse declarat in mille generationes. Sed ætatē requiris, quæ capax sit regenerationis manifesta. Eam ego nego vsquam à Domino præscribi.

Deinde habeo clarum Domini mandatum, quo pueros ad Circūcisionē admittit. Tibi Circūcisio signū est carnale. Ego Paulo adhibeo plus fidei, qui pronūtiat esse iustitiæ fidei sigillū. quanquam extant apud Moyse & Prophetas testimonia, quæ spiritualē eius significationem & vim declarāt. Quòd Pauli verbis innixus contēdis eos demum Abrahamæ filios esse qui per fidem fiant: mirum est abs te non cōsiderari discrimen inter paruulos & adultos. Nā sicuti in adultis fidē exigit Paulus, vt eos agnoscat filios Abrahamæ, ita vicissim pronuntiat, sanctos patres esse radicem sanctam: & primitiis comparat, quæ totum prouentum sanctificant. Qua ratione sanctos etiam esse docet, qui ex patre aut matre fideli gignuntur.

Nos quoque docemus natura esse filios iræ, quicumque ex Adam descendunt: sed docemus rursus superueniēte Dei gratia aboleri maledictionē quæ in natura hæret. Nunc mihi ostende si potes, me loqui pugnancia.

Si tua vox pro oraculo nobis est, credemus figmētum esse Papisticū, quòd in alterius fide alter baptizetur. Sed quia prohibet Dei institutio ne tibi credā, securè cōtemno quod pronuntias. Nam, diruta maceria (quemadmodū iam citavi ex Paulo) fœdus vitæ aternæ nobis commune est cum Iudæis. Hoc fœdus obsignatur Baptismo. Porrò ad quos destinātur verba? Nēpe ad omnes pios, vt se cum progenie sua sciant à Domino cooptari.

Res est tibi de solo titulo, quòd in paruulis adoptionem obsignari trado per Baptismum. Tu quidē ita loqueris: sed quis tibi sanus credet? Excipies te ad

dere probationem : quia scribit Paulus iustificatos esse qui per Baptismū sunt Christo cōmortui. Con- dono tibi quòd plus sumis quàm extet apud Paulū. Solutio mea est, quòd ineptè facis, ac importunè, qui ad paruulos detorques quod de adultis prædicat Apostolus. Qui non laborat, non manducet. Ergo fame pereāt infantes qui adhuc sugunt matris vbera. Ite, prædicate vniuersæ creaturæ. Ergo Euange- lium infantibus prædicetur.

Negas exemplo Christi plus nobis permitti quàm vt impositione manuum Patri cælesti com- mendemus paruulos. Ego autem ex aduerso tibi res- pōdeo, quum impositio manuū solenne sit symbo- lum benedictionis, eadem ratione Baptismum illis conuenire. Nam illud tuum De occurso malo, hau- stum est ex fæce Papatus.

Quando Baptismo cum Cœna eandem esse ana- logiam confiteor quæ fuerit olim Circuncisioni cū Pesah: rogas cur baptizatis nō detur Cœna, sicut tūc Circuncisis dabatur Pesah. Respōdeo ita dari. nam verba Moyfi ita habent, Quum interrogauerint filii tui, & filia tuæ, Quid sibi hoc vult? Narrabis benefi- cium Dei tui. Pesah igitur non simpliciter commu- ne fuit epulum omnium, sed eorum qui iam ad reci- piendam doctrinam erant idonei.

Concludis æquiparari duo hæc symbola, sed sine ratione. Mihi autem constat optima ratio & solida, cur discriminē statuam. neque enim si de adultis pro- nuntiavit Dominus, renasci oportere ex aqua & Spi- ritu, priusquam intrent in regnum Dei: continuò ti- bi licebit ad paruulos trāsferre, vt dictum est. Dein- d.iiii.

de expositionem tuam cur repudiem, ostendi. Ter-
tium quos paruulos Dominus ex hac vita recolligit,
non dubito regenerari arcana Spiritus operatione.
In aliis agit pro ætatis modo: & ita agit, vt nõ sit in-
ane renouationis signũ. Ideo autẽ inter Baptismũ,
& Cœnam discerno, quia Cœnæ vsus huic mādato
astringitur, Probet seipsum homo, &c. Baptismus
signũ est adoptionis, commune omnibus filiis Dei,
inter quos infantes ex fidelibus genitos numero:
quia ex radice sancta sunt rami sancti: non naturæ
quidẽ puritate quæ tota vitiosa est, ac damnata: sed
superueniẽte fœderis gratia, quæ & naturæ maledi-
ctioni medetur, & salutis causã in se inclusã cõtinet.

Quod me rogas vt tibi de aliis quoque capitibus
respondeam: id facerem, si possem breuiter. neque e-
nim satis diuino quid propriè desideres. Magis autẽ
sum occupatus quàm vt tibi vni vacet libros inte-
gros scribere. Deinde nihil quæris quod non repe-
rias in mea Institutione, si illinc petere libeat. Quan-
quam labori non parcerem, si mihi notus esset sco-
pus quod tendis. Nunc autem quãtam syluam ingre-
diar, si tractanda argumenta suscipiam, quæ vis tibi
explicari? Vis vt tibi definiam quæ sit vera fides: iu-
stum erit volumen. Et tamen id erit actum agere:
quia quod de fidei natura perceperam, id studui fide-
liter & clarè tradere. Rogas qualiter regeneratio-
nis Spiritu viuificetur. Quæ locutio primũ aliena
est ab vsu Scripturæ: deinde falsum commentũ re-
spicit: quasi Spiritus adoptionis mortuam fidem af-
ferat, quæ vitam deinde mutuetur à regeneratione.
Vera autem fides Christũ apprehendere non potest

in iustitiã, quin simul apprehēdat in sanctificatio-
nē. Itaq; quid tibi velis, nō assequer, nisi ut cūque
tuis deliriis esse assuefactus. ignosce: itares me loqui
cogit. Ego te nec odi, nec cōtēno, nec durius insecta-
ri velim. Atqui ferreus sim, nisi commouear, quum
te sanæ doctrinæ tāta proterua insultare video.

Neminem sine promissione iustificari cōcedo.
Verūm, si inde inferas nō iustificari paruulos, quia
promissionem non percipiant, inepta erit conse-
quentia. Neque enim ad ipsos diriguntur promif-
sionis verba, sed ad Patres.

Homo internus Paulo non significat hominem
nouum, quemadmodum putas. Verūm omiſſa ver-
bi controuersia, si cupias ex me discere quis sit ho-
mo genitus ex Deo: reperiēs plenam eius rei defini-
tionem in secundo Institutionis capite.

Dico animas nostras quatenus fide sunt renoua-
tæ, verē in Cœna aliã Christo: nec esse imaginariã
illic communicationem Christi, sed veram.

Quæ fuerit gratia aduētus Christi, & quid à Pa-
tribus differamus, reperiēs in capite de Veteri, &
Nouo testamento. Faxit Dominus vt deposito su-
percilio sustineas humilis esse veritatis discipulus.

Hoc puto, euidēs signum fuit præfraçti & indo-
mabilis spiritus, quòd tātum diris postea & execra-
tionibus agendum sibi putauit. Certē verbum D o
mini fœdē pro sua libidine discerpens, clarē ostē-
dit, sūsque deque sibi esse totam religionem, mōdò
petulantix suæ morem gereret. Adhæc, quale de eo
homine iudiciū feremus, cui hoc vnum fuisse pro-
positum palam est, vt quicquid vnquã de religione

traditū fuit, nullo adhibito delectu conuelleret, nisi hanc captasse laboris sui mercedē, vt talibus offusis tenebris, omnem diuinitatis sensum ex hominū memoria deleret? Certē quanquam hæreticos præcipites agit sua superbia: est tamen vt plurimū admixta quædam temulenti zeli intēperies. Vita autem Serueti magis fuit dissoluta, quàm vt suspicari liceat, errore ad turbandam Ecclesiam fuisse impulsū. Itaq; à Iudicibus in carcere rogatus (quū crassis superstitionibus re ipsa subscribere nunquā dubitasset, liberiore etiam indulgentia præ se tulisset non magnopere sibi curæ esse Dei cultum) vnde illi tantus feruor ad res nouandas: obmutuit. nec sanè erat quod diceret, nisi se in rebus sacris fuisse audacem, quasi Deo illudere liceret. In ipsa porrò causæ actione non coniecturis tantum notata, sed manifestis signis deprehensa fuit eius impietas. Quū diceret ex propria Dei substantia esse omnes creaturas, atque ita omnia esse deorū plena (nā hoc modo loqui & scribere quod meditatus erat, nō erubuit) ego indignitate vulnerat⁹ cōtrā excepi, Quid miser: si quis pavementum hoc calcando, se Deum tuum calcare dicat, an nō te pudebit tātæ absurditatis? Tunc ille, Ego verò & scamnum hoc, & quicquid ostēdes, Dei substantiam esse nō dubito. Quum rursus obiectū foret, Ergo diabolus substācialiter Deus erit: ille in cachinnū solutus, An hoc vobis dubiū est, inquit? Hoc verò mihi generale principium est, ex traduce Dei orta esse omnia, & rerū naturā esse substācialē Dei Spiritū. Prolatū est Geographiæ Ptolemæi volumē, cum eius præfatione editū, vbi monentur le-

etores, vel iniuria, vel purā iactantia tantā bonitatē
 Iudææ fuisse adscriptā : quia experiētia mercatorū
 hanc incultam, sterilē, omni dulcedine carētem de-
 promit. Quū initio obmurmuraret, hoc ab alio scri-
 ptum esse: tam frigidum cauillū refellere prōptum
 fuit. nā hoc modo, deprehēsus erat manifestus im-
 postor. Ergo redactus in illas angustias, rectē scri-
 ptum esse defendit. Rogatus deinde quisnā vanus il-
 le præco Iudææ fuisset præter Moysē: Quasi alii, in-
 quit, nō scripserint de Iudæa. Hic quod necesse erat
 excepi, Certē vt alii cum Moysē cōsentiant: quia ta-
 men omnium vetustissimus fuit, subscribunt eius
 elogiis. Quare penes eum præcipua erit culpa, qui
 mētiēdo posteros fefellit. Cuius enim est illud, Ter-
 rā fluere lacte & melle: Adieci præterea, incōsidera-
 tē ex præsentī terræ statu fieri iudiciū: quia memo-
 ria tenendū sit horribile iudiciū Dei, quod olim
 minatus fuerat peculiariter Iudæis, & quod in ge-
 nere describitur P sal. 107, Deum esse, qui fœcundis
 opimisque regionibus, quasi sale seminato, ob ho-
 minum peccata sterilitatem inducit. Iudæā itaque
 hodie nobis illustre esse diuinæ maledictionis spe-
 culū. Dicam quod videri posset incredibile, nisi cla-
 riss. Senatus noster vnā cum multis grauib. viris
 locuples esset testis: vbi ita conuiēta tenebatur im-
 pietas, obscœnus canis tantū os perfricuit, & di-
 xit vno verbo, nihil esse illic mali. Et quum nulla
 illi in mentem veniret fucata excusatio, nulla ta-
 men ingenua confessio exprimi potuit. Lugduni
 quum sacris Bibliis corrigendis opera eius condu-
 cta foret, postquam typographum quingentis li-
 bris francicis emūxit, ne furatum esse quis diceret

quod mercedis nomine sumperat, singulas paginas partim multis futilibus nugis, partim impiis deliriis inquinavit. Quia singulis excutiendis tempus non dabatur: in primis obiectum est caput Iesaiæ L I I I: cuius perspicuitas quum Iudæis quanlibet impudentibus ansam calumniandi præciderit, hic falsarius ausus est ad Cyrum torquere. Ita quod de vnico sacrificio, partaque in eo expiatione aeterna, de mundi cum Deo reconciliatione, de gratuita fidei iustitia clarissimè Propheta differit, imò sonora voce prædicat, deleuit hic perfidus nebulo. Nam his Prophetæ verbis, Verè languores nostros ipse tulit, dolores nostros ipse portauit: Vulneratus est propter transgressiones nostras, afflictus est propter peccata nostra. Castigatio pacis nostræ super eum: & liuor eius nobis fuit sanitas: commētum Serueto dignū assuit, Desleri Cyrū qui exigentibus populi peccatis mortu⁹ erat. Subiicit quidē, Christū adūbrari, in quem solū propriè hæc omnia cōpetūt. sed interim nullā nobis pro peccatis satisfactionē, nullū propitiandi Dei remediū, nullā purgationē reliquam facit. Verū certè esse quod tūc illi obieci, mihi omnes cōcedent, quòd nullo authore fretus, insignē hāc Prophetiā tā nequiter corruerit, nō aliūde esse factū, nisi quia vāsanā & furialē ex fidei interitu voluptatē capiēs, omnis verecundiæ oblitus, summum dedecus in se suscipere maluerat, quā nō omnia peruertere. Omitto quòd quū Nicolai Lyra ni suffragiū obrēderet, producto libro mēdacii cōuictus nō erubuit. fuit enim hoc illi solēne: scriptores quorū nunquā libros inspexerat, audacissimè ei

tare. Cuius rei iocosum & risu dignū specimē in Iu-
 stino Martyre exhibitū fuit. Nā quia magnifice ia-
 ctabat, aureo eius seculo incognitas fuisse de Trini-
 tate & personis fabulas: codicē statim afferri iussi, &
 digito mōstravi certos locos, in quibus sanctus vir
 nō minus apertē fidē nostrā assererat, quā si roga-
 tu nostro scripsisset. Atqui Græcū sermonē nihilo
 magis legere quā puer alphabetarius potuit. Tū
 se turpiter deprehēsum vidēs, stomachosē Latinam
 trāslationem sibi dari petiit. Quid hoc rei est, dixi:
 quum nulla extet Latina trāslatio, Græcē legere
 nescias: tamen in Iustini lectione familiariter te ver-
 fatum esse fingis. Vnde igitur tibi illa testimonia,
 quibus citandis adeò liberaliter tibi indulges? Ille,
 vt solebat, ferrea fronte aliò trāsiliens, nullū vel mi-
 nimæ verecundiæ signum dedit. Verūm vt duritiē
 illam omittam: quum palām fieret, præcipuum sa-
 lutis nostræ caput, de expiatis Christi morte homi-
 num peccatis, diabolica eius fraude ex Iesaiæ libro
 esse deletum, nullo pœnitentiæ sensu tangi, hoc pro-
 digiosæ cuiusdam malitiæ signum est. Nec verò du-
 bito quin sicuti mihi, ita bonis omnibus interior
 & deliberata diūque cōcocta impietas in eo se pro-
 ferat, dum ex rerum omnium confusione quasi gra-
 tuita voluptas capitur. Cæterū ne malè feriat
 nebulones væcordi hominis peruicacia, quasi mar-
 tyrio gloriētur: in ei⁹ morte apparuit beluina stupi-
 ditas, vnde iudicium facere liceret, nihil vnq. ā se-
 riò in religione ipsum egisse. Ex quo mors ei denū-
 tiata est, nunc attonito similis hærere, nunc alta su-
 spiria edere, nunc instar lymphatici ciulare. Quod

postremū tandem sic inualuit, vt tātū Hispanico more reboaret, Misericordia, Misericordia. Vbi ad locum supplicii ventum est, hortatu optimi fratris symmytæque nostri Farelli tandē agrè extorta ei vox fuit, vt populus communes secum preces conciperet. Porrò qua id consciētia sibi facere permiserit, nō video. scripserat enim manu sua, fidem hic diabolicam regnare, nullā esse nobis Ecclesiam, nullum Deum, quia infantes baptizando, Christū abnegaremus. Quomodo igitur se in precibus socium populo adiunxit, cuius fugiēda erat communio? Annon profanatio est sacræ vnitatis, communem Deum & fidem cum impio & profano cœtu profiteri? Ac pro eo quidē vt supplicaretur, hortatus est Farellus, sed nominatim vt Dominus perditū aliās hominis misertus, ab execrādis cum erroribus ad sanam mentem reduceret. Ipse interea, quam nullum resipiscentiæ signum dedit, pro suorum tamen dogmatū defensione ne verbum quidē facere conatus est. Quid sibi quæso hoc vult, quòd iam sub manu carnificis positus, quum æternū Dei Filium inuocare pertinaciter renueret, nō breuiter saltem (quod liberum erat) excusauerit? Quisnam mortem hanc martyris esse dicet, doctrinam, pro qua certandū erat, non modò omni patrocinio destitutam relinquere, sed voluntario silentio tenere suppressam? nemo enim à loquendi ipsū libertate prohibuit. Vnde quod paulo antè attigi, liquere arbitror: quādiu impunè se ludere putauit, plus satis fuisse audacem: vbi autem soluta est iusta merces, desperatione concidisse.

Verùm quia de homine dictum est iam plus satis: subiicienda est suo ordine, vt præfatus sum, dogmatũ descriptio: vnde statuant lectores, fueritne vnus & alter mediocris & ferendus error, an vastũ ac profundum impietatũ pelagus, quæ totam fidẽ nostram labefactant, imò etiam magna ex parte prorsus euertunt. Non quòd mihi totam farraginem euoluere propositum sit. video enim, si id facere tẽtauero, quàm densam syluam, ac potius quàm profundum labyrinthum ingrediar. Sed idem, vt opinor, quod in ipsa causæ actione sequuti sumus, compẽdium tenere vtile erit: nempe vt lectores genere ipso doctrinæ, vt certis capitibus distinctũ erit, notato, monstrum non minus detestabile quàm multiforme in eius libris cõtineri agnoscant. Quũ variè, diũque verbis certatũ foret, ac subinde querimoniam illam repeteret, non decere pietatis causas in carcere tractari: respondi quod verum erat, & initio præfatus eram, nihil mihi fore gratius quàm si in templo & toto populo audiente, disceptaretur: nec verò esse causam cur lucem & conspectũ eius theatri fugerem, vbi causa plausibilis, non aduersis auribus tuẽda foret. Deinde quum ille prouocaret ad alias Ecclesias: libenter à me hæc quoque conditio suscepta fuit. Itaque clariss. Senatus noster finẽ ambagibus facere volẽs, decreuit vt propositiones exciperem ex Serueti ipsius libris, quæ ei scriptæ darentur. Eodẽ Senatusconsulto permissum illi est vt retractaret siquid videret à se nõ rectè scriptum: siquid verò deprehenderet malè à nobis detortum, refutaret: siquid iniustè putaret damnatum, ex ver-

bo Dei defenderet. Ego, ne ultra modū prolixus fore, certa quædā capita ad verbū trāscripsi. Habuit ille quantum voluit temporis, ad respondendum: nobis non plus biduo datū est. Porrò quia causam suā sperabat magis fore plausibilem, si postremas haberet loquēdi partes: rursus supplicii libello hoc sibi dari petiit, ac impetrauit. Quauis autem minimè eum lateret, de capite suo agi: quia consulebātur vicinæ Ecclesiæ, ex quarum responso pendeat graue præiudicium: quā securè tamen cauillatus sit, videbunt lectores: quos, nequid fortè suspectum habeant, monitos volo, nihil à me hic positum, quod non in acta publica relatū, & legitimè cōsignatū sit.

Sentētiæ vel propositiones excerptæ ex libris Michaelis Serueti, quas Ministri Ecclesiæ Geneuēsis partim impias ac in Deum blasphemias, partim prophanis erroribus & deliriis esse refertas asserunt: omnes verò à verbo Dei, & orthodoxo Ecclesiæ consensu profus alienas.

OMnes qui Trinitatem statuūt in essentia Dei, esse Tritoitas, veros atheos: nec Deum habere nisi tripartitum & aggregatiuum. Item, habere connotatiuum Deum, non absolutum: imaginarios habere Deos, & illusiones dæmoniorum, lib. 1, de Trinitate, pag. 30. Quibus respondet quod addit pagina sequenti. Somnia vt voles, dirige oculos ad phantasmata, & tunc videbis tuam Trinitatem non esse intelligibilem sine tribus phantasmatibus. Tandem concludit omnes Trinitarios esse atheos.

Tot autoritatibus fulciri Hebræos vt tripartitum 2
Deum à nostris introductum meritò admirentur.
Lib. 1. de Trinit. pag. 34.

Incorporeã Deitatẽ realiter distinctã, Mahometo 3
causã dedisse negandi Christũ. Lib. 1. de Trin. pa. 36.

Tres illas res incorporeas distinctas in Dei vnitate 4
nõ posse stare, & esse Triadem imaginariam. Lib.
1. de Trin. pag. 29.

Vt fucũ impiis suis dogmatibus inducat, fatetur 5
quidem in Deo personalem fuisse distinctionem, sed
personam duntaxat externam intelligit quæ in Dei
essentia nõ verè subsistat: sicuti lib. 3. de Trinit. pag.
92. Dicit Verbum fuisse idealem rationem ab initio,
quæ iam hominem referebat: fuisse in Verbo apud
Deum futuri hominis Iesu Christi exemplar, perso-
nam, effigiem, vultum, faciem, hominis in Deo re-
presentationem. Item dialogo 1. pag. 229, nõ esse in-
ter verbum & Spiritum realem differentiam. Item
lib. 5. de Trinit. pag. 189, nullam fuisse in Deo realem
generationem, vel spirationem.

Vt palàm appareat confundi ab eo personas: lib. 6
2. de Trinit. pag. 66, sic loquitur, Ipsa sapientia olim
simul erat Verbum, & Spiritus, quia non erat realis
distinctio, ipsamet sapientia erat Spiritus. Et lib. 5. de
Trinit. pag. 164, totum Verbi & Spiritus arcanum
definit fuisse fulgentem Christi gloriam.

Quanquam autem negat distinctionem realem 7
in tribus personis ante Iesu Christi incarnationem:
dicit tamen tanta gloria decoratum fuisse Christum
vt non solum sit ipse Deus de Deo, sed & sit Deus de
quo alius Deus procedat. Lib. 5. de Trin. pag. 185.

- 8 Ipsum Christum esse filium Dei, quatenus genus est à Deo in utero virginis Mariæ. Idque non solum virtute Spiritus sancti, sed quia Deus ex sua substantia illum genuit. Lib. 1. de Trin. pa. 11 & 12. Item epistola ad Caluinum 1 & 2.
- 9 Verbū Dei de cælo descendēs esse nūc carnē Christi: ita ut caro Christi de cælo sit. Lib. 1. de Trin. pa. 17 & 18. item lib. 2. de Trin. pag. 73. Corpus ipsum Christi esse corpus Deitatis, carnē eius diuinā: carnē Dei: cælestem: de substantia Dei genitam. Itē Dial. 1. pag. 231. Animam Christi esse Deum: carnem Christi esse Deum: & tam Christi animam quā carnem, fuisse ab æterno in propria Deitatis substantia.
- 10 Libro 2. de Trin. pa. 77, sic loquitur, Essentia corporis & animæ Christi, est Verbi & Spiritus Deitas. Et Christus ab initio est, tam ratione corporis quā ratione animæ. Item lib. 2. pag. 87. Non solum in anima, sed & in carne Christi est substantialis Deitas. Itē lib. 5. de Trin. pa. 164, Deus erat Verbū, & Spiritus, Verbū & Spiritū variē dispēsans in corpus & animā.
- 11 Ut ostendat sibi ludibrio esse Christi Diuinitatē, exponit eū dici Sapientiam & virtutē Dei, & splendorem gloriæ ipsius, perinde ac si vocaretur excellens quædam Sapientia & virtus. Lib. 2. de Trin. pag. 87.
- 12 Iesum Christum hominē, ab initio apud Deum fuisse in propria persona & substantia. Lib. 2. de Trin. pag. 90. Alibi tamen tribuit Christo duas personas. Lib. 4. de Trin. pag. 129.
- 13 Postquā confessus est Verbum Dei factum fuisse hominem, dicit hoc Verbum fuisse semen Christi. Lib. 4. de Trin. pag. 145. Item rem esse aliam à Filio.

Lib. 1. de Trin. pag. 23. Item Verbum quo mūdus est
 creatus, prolatum fuisse eius gratia: vnde sequitur i-
 psum non esse illud Verbum. Lib. 2. de Trin. pag. 85.
 Item Verbum Dei fuisse rorem naturalis genituræ
 Christi in vtero Virginis, sicuti semen generationis
 animalium. Dial. 2. de Trin. pag. 260. Præterea Filiū
 Dei naturaliter genitū fuisse ex Spiritu sancto per
 Sermonem. Lib. 1. de regeneratione pag. 355.

Verbū ipsum Dei fuisse semē generationis Chri 14
 sti. Et sicut generantia omnia prius in seipsis semen
 cōcipiunt, quàm fœtum extra se mittāt: ita fuisse in
 Deo semē Verbi, priusquā in Maria fili⁹ cōciperetur.
 Lib. 4. de Trin. pa. 146. Itē paternū semen genituræ
 Christi, idipsum in eo effecisse quod in vnoquoque no-
 strū facit semē creatū Patris. Dia. 2. de Trin. pa. 254.

Per actionē Spiritus Dei extitisse ipsum Christi 15
 corpus, quoniam Verbo diuino quasi rore genituræ
 Christi cū elemētis his creatis simul se terræ miscue-
 rit: & quatenus diuinus, & humanus halitus ei⁹ ani-
 mæ infic⁹ fuerit & coaluerit, extitisse hypostasin vnā
 Spirit⁹ eius, quæ est hypostasis Spiritus sancti. Lib.
 5. de Trin. pa. 165. Et antea dixerat in Christo tria ele-
 menta esse de substantia Patris. Lib. 4. de Tri. pa. 159.

Vt corrumpat dictū Apostoli, 2. cap. ad Hebræos, 16
 Christum scilicet nō assumpsisse natutam Angelo-
 rum, sed semē Abrahæ: sic exponit, nempe quod nos
 à morte liberauerit. Lib. 2. de Trin. pag. 90.

Deum esse Patrem Spiritus sancti. Quod nihil 17
 aliud est quàm personas confundere, quales etiam i-
 pse fingit. Lib. 5. de Trin. pag. 187.

Vt ostendat se ludere in voce Personæ, dicit v- 18

nam solam fuisse personalem imaginem seu faciē, quæ erat Christi persona in Deo, etiam Angelis cōmunicata. Lib. 3. de Trinit. pag. 102.

- 19 Tria elementa esse ab utroque parente tā in Christo quā in nobis. Terreā verò materiam esse à sola matre tam in Christo quā in generabilibus omnibus. Vnde sequitur illum non habuisse corpus nostro simile: id quod perinde est ac redemptionē nostrā delere. Dialo. 2. de Trin. pag. 250. Quod etiā plenius exprimit lib. 5. de Trini. pag. 194, quum dicit in nobis solū esse elementa creata: in Christo esse creata & increata, & substātiā Spiritus Dei, ipsi carni substantialiter communicatam.
- 20 Rorem illum cælestem virgini obumbrantē, & semini eius, & sanguini sese immiscentē trāsfomal se in Deū humanā materiā. Dial. 2. de Trini. pa. 263.
- 21 Duas naturas cōfundens, dicit lucem creatam & increatam fuisse in Christo vnam lucem: & ex Spiritu diuino & anima humana constituisse in Christo vnā substantialē animā. Dial. 2. de Trin. pa. 268. Adeoque substātiā carnis & substātiā Verbi esse vnā substātiā, pag. sequēti, Tandē cōcludit carnē Christi substātiā Verbi habere corporaliter, substātiā ipsū vitalē Spiritū diuinū, atque ita esse verē cælestē, & de substātiā Dei, carnē Verbi, carnē Dei, quæ existētiā habet aternā. Dial. 2. de Trin. pa. 271.
- 22 Iesum Christum participationem Dei & hominis habentem non potuisse dici creaturam, sed participem creaturarum. Dialo. 2. de Trin. pag. 272.
- 23 Vnam & eandem Deitatem quæ est in Patre cōmunicatam fuisse filio Iesu Christo immediatē & corporaliter. Deinde eo Mediatore per ministerium

Angelici Spiritus cōmunicatam fuisse spiritualiter
Apostolis. Ac Christo quidē soli à natura esse Deita-
tem infitā corporaliter & spiritualiter: verū ab eo da-
ri aliis sanctū & substātiāle halitū. Li. 2. de Trin. pa. 22.

Sicuti Verbum descendit in carnem Christi, ita 24
Spiritum sanctum descendisse in Apostolorum ani-
mas. Dialog. 2. de Trin pag. 264.

Personas cōfundens sic inquit, Naturaliter & vo- 25
luntariē erat ^{λογος} idealis ratio & prolatio, reluctance
Christi apud Deū, Spiritus Christi apud Deū, Lux
eius apud Deū: vnde sequitur nullā fuisse substantiā,
quā figura tantū esset illius rei quæ nōdū erat, & in-
terea à Spiritu non differat. Dial. 1. de Trin. pa. 208.

Nullam ante Christi aduentū visam fuisse Spiri- 26
tus hypostasin. Lib. 5. de Trin. pag. 197. Ex quo sequi-
tur nullam tūc fuisse hypostasin, nec personam, quā
nulla sit persona nisi visibilis: quemadmodū in libris
suis affirmat, & responsis fatetur. Quibus respondet
quod dicit Dialogo 1. pag. 217, Spiritū Dei vmbra
fuisse in creatione mundi.

Vt intelligatur qualem aternitatem Christo tri- 27
buat: Sicut (inquit) res omnes nunc sunt in Deo, ita
eodem ordine ante creationem erāt in eo, & primus
omnium Christus. Itē Deus ratione sua aterna cor-
poralem sibi & visibilem Filium aternaliter decer-
nens, talis speciei substantia seipsum visibilem præ-
bet per sermonem. Dialo. 1. de Trin. pag. 205.

Christum quandiu in carne mortali versatus est, 28
nondum accepisse Spiritū nouum quē à sua resurre-
ctione accepturus erat. Lib. 5. de Trin. pag. 185. Item
lib. 5. de Trin. pagi. 195, Christum ante resurrectionē

- nondum obtinuisse totam Dei gloriam, sed postea Spiritum nouum accepisse. Totam ergo nunc Verbi & Spiritus gloriam hypostaticè solum Christum continere. Cui etiã respondet quod Dial. 1. de Trin. pag. 231, scribis, Deum spirantem spirasse in Christũ, sicut in nos, Spiritũ sanctũ superuenientẽ: atque ita totã denuo Deitatẽ dispensatione alia spirasse, ac eius priorem Spiritũ in resurrectione innouasse, dato nouo Spiritu quẽ datus in Iordane Spiritus adũbrabat.
- 29 In Dei substantia partes esse & partitiones nõ modo quo in creaturis, sed secundum dispensationis distributionẽ, ita vt in Spiritus partitione cuiusque portio sit Deus. Lib. 3. de Trini. pag. 121. Præterea vbi affirmavit spiritus nostros substantialiter ab æterno fuisse, subiungit illos esse consubstantiales, & coæternos. Dial. 1. de Trin. pag. 226. Et tamen alio loco fatetur Spiritum quo illuminati sumus, extingui posse. Lib. de Regeneratione 4. pag. 555.
- 30 Omnibus insitum esse ab initio Spiritum Deitatis ex Dei halitu. Dial. 1. pag. 138.
- 31 Siquando in Lege dicitur esse in aliquo Spiritus Dei, non sumi pro Spiritu regenerationis sancto.
- 32 Angelos olim vt Deos à Iudæis fuisse adoratos: Lib. 5. de Trin. pag. 184. ita vt illos ipsorum Deos appellet pagi. sequenti. Cui etiam respondet quod dicit Dial. 1. pag. 216, nunquam fuisse in Lege Deum verè adoratum, sed Angelos adumbrantes Christũ, fuisse adoratos. Item Abraham credidisse illi, qui Christũ adumbrabat. pagina sequenti.
- 33 Etsi autem fatetur Christum vel Verbum nõ habuisse hypostasim realem ab initio, nihilominus affirmat Angelos & Electos in Deo fuisse realiter ab

initio. Lib. 4. de Trin. pag. 135.

In omnibus creaturis Deitatem constituit etiam 34
substantiali. Dial. 1. pag. 213.

Posteaquã verò multa deliria, eaque peruersa ac 35
perniciosa de animarũ substantia cõsarcinauit à pag.
220, vsque ad pag. 225. 1. Dial. tandem concludit ani-
mam esse ex Deo, & ex eius substantia. Itẽ in spiratio-
nem creatam in illam fuisse insitam vnã cum Deita-
te: & iterum noua spiratione in vnã cum Deo lu-
cem substantialiter coire per Spiritum sanctum.

Quamquam autẽ anima nõ est Deus, eam tamen 36
effici Deum per Spiritũ, qui quidem est & ipse Deus:
adeò vt dubitare sit nefas & animã nostram, & ipsum
Christi Spiritum sanctum sibi essentialiter iunctam
habere eiusmodi elementarẽ substantiam, sicut Ver-
bum sibi iunctam habet carnem. Atque res creatas &
in creatas in vnã animã & Spiritus substantiã coi-
re. Lib. 5. de Trin. pag. 181 & 182.

Scriptis, adeoque vulgavit horredas blasphemias 37
contra pãdobaptismum, quemadmodum satis con-
stat ex integris quatuor libris de Regeneratione, præ-
sertim verò ex conclusione, pag. 576. Item non com-
mitti peccatum mortale ante annos viginti.

Animã redditã esse mortalẽ per peccatũ, sicut ca- 38
ro mortalise est: nõ quòd in nihilũ anima redeat, sicut
nec caro. Sed mori quãdo cũ dolore vitalibus actio-
nibus priuatur, & in inferno languẽs detinetur quasi
nõ amplius victura. Lib. 4. de Regen. pag. 551. Dein-
de concludit regenitos aliam habere animam quã
ante, propter substantiam innouatam, & nouã Deita-
tem adiunctam. pagina sequenti.

Michaelis Serueti responsio ad articulos
Iohannis Caluini.

Eam sibi iam auctoritatem arrogat Calvinus, vt instar magistrorum Sorbonicorum articulos scribat, & quiduis pro sua libidine damnet, nullam penitus ex Sacris adducens rationem. Mentem meam ipse aut planè non intelligit, aut callidè aliò detorquet. Vnde cogor, scopum meum torum hic paucis proponere, ac pro me rationes adducere, antequàm singulis eius articulis respondeam.

Scopus meus totus fuit, quòd nomen hoc Filius, in Sacris literis propriè tribuatur homini filio, idque semper, sicut eidem propriè semper tribuitur nomen Iesus, & nomen Christus. Ad huius probationem adduxi omnes Scripturæ locos, in quibus ponitur ea vox Filius, quæ semper sumitur pro homine filio. Nullum dico in Euangeliis posse inueniri locum, in quo ponatur ea vox Filius, quæ non accipitur pro homine filio. Si igitur Scriptura ita semper accipit, ita & nos semper accipere oportet.

Secundam personam in Deitate dixi olim dictam personam, eo quòd esset personalis repræsentatio hominis Iesu Christi, hypostaticè iam olim in Deo subsistentis, ac in ipsa Deitate visibiliter relucens. Quia verò hæc personæ ratio, est Caluino incognita, & quia inde res ferè tota penderet, locos hic ex antiquis Ecclesiæ doctoribus adducam.

Ex Tertulliano.

- 1 Primus Tertulliani locus est lib. 2. contra Marcionem, pag. 200 & 201, vbi ait, Deum olim humanos sensus & affectus suscepisse, Deum in figura & reliquo ordine humanæ conditionis versatum, Deum conformasse seipsum humanitati. Etenim ipsum fuisse visibilem in Deitate Christum. Nam & profitemur, inquit, Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conuersatum, ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis. Et paulo post, In hæc dispositus est Christus à Patre, ediscens iam inde à primordio hominem, quod erat futurus in fine. Et facie 201, Deum nunquam visum docens Scriptura, Patrem invisibilem determinat, in cuius auctoritate & nomine ipse erat Deus qui videbatur Dei filius. Sed & penes nos Christus ibi in persona Christi accipitur. Personam ideo dictam ait, quòd esset persona Christi olim visa, atque ita personalis Filius.

- 2 Secundus est locus libri aduersus Iudæos, pagina 138, vbi ait,

Qui ad Mosem loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur. Deum enim patrem nemo vidit vnquam. Ideo constat, ipsum Dei Filiū Mosi esse locutum & visum. Visibilis igitur tunc erat filius homo Iesus Christus.

Tertius locus lib. de Resurrectione carnis, pag. 41, vbi ipsam 3
 Adæ carnem ait de limo formatam & figuratam ad effigiem & imaginem Dei, id est Christi, iam tunc in Deo talem effigie habentis. Id vtrique quod Deus finxit, inquit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit, esse se parem Deo. Citat ibi Tertullianus dictum Pauli ad Philippenses 2, dicētis, Christum iam olim fuisse in forma & effigie Dei constitutum, eamque ipsam fuisse formā & effigiem Dei ait, ad cuius imaginem & similitudinem est caro Adæ formata. Erat igitur effigies & persona Christi visibilis, in Deo iam tunc relucens.

Quartus locus lib. 5, contra Marcionē, pag. 175, & 136. In persona 4
 Christi quis dixit, Fiat lux! In illuminatione mundi, quis Christo ait, Posui te in lucem Gentium Signatum est, inquit, super nos lumē personæ tuæ, (seu vultus tui) Domine. Persona autem Dei Christus Dominus. Quæ persona Apostolo dicta est imago Dei. Igitur Christus erat persona creatoris dicentis, Fiat lux. Hæc ille. Ecce quoties repetit nomen personæ: & quid per personam intelligat, ipsam nempe Christi faciē, in ipsa creatione iam hypostaticè relucentem, ac verè loquentem. Exponit insuper dictū Apostoli ad Coloss. imaginem Dei vocans ipsam Christi faciem diuinam quæ in Deo relucebat.

Quintus locus eodem lib. 5, pag. 351, in hæc verba, Inuisibilis 5
 Dei imaginem ait Apostolus Christum. Sed nos enim inuisibile dicimus Patrem Christi, sciētes Filium semper retrò visum in Dei nomine, vt imaginem ipsius: ne quam & hinc differentiam scindat Dei visibilis & inuisibilis. Pulcherrimus est locus hic, iūctus præcedenti, docens non esse in essentia Dei realem illam distinctionem Patris & filii, vt duarum rerum inuisibilium, quas Tritoitæ somniant, sed esse solam personale distinctionem inuisibilis Patris & visibilis Filii, quam & formalem dispositionē in Deo vocat, libro aduersus Praxeam, pag. 418. 419. 420. 429. & apertius pag. 430.

Sextus locus eodem lib. 5, pag. 353 & 354, dicens, In effigie Dei erat cōstitutus Christus. Alibi Apostolus, Christi imaginem Dei inuisibilis appellat, ea ratione qua in effigie Dei cum collocat.

Erat igitur verè imago Dei & hominis, in Deo relucens, & hominem referens. Aurca verba, mente perpetuò tenenda.

7. Septimus locus lib. aduersus Praxeam, pag. 422. & 423. Affirmo, inquit, substantiuum aliquid esse Sermonem, in Spiritu ipso ita constructum, vt res & persona quædã videri possit. Aliquid significare, seu representare Sermonem ait, sed non ita vt sit res inanis. Sermo noster est structura quædam super aere ipso facta, ideo euanescit. At Sermo Dei in ipsa Deitate structus, vt ait, in sua representatione permanet. At in super, non esse hic *αερον*, prolationem rei alterius ex altera: ergo non est duarum rerum distinctio illa realis, sed in ipsa Patris Deitate est prolatio, Sermonis fabricatio, ac formalis dispositio. Hinc cõfurgere ait æconomiam, dispensationem seu dispositionem Trinitatis, in tot nomini- bus constitutam, in quot Deus voluit. ita pag. 419.
8. Octauus locus lib. de carne Christi, pag. 15. vbi ad ostendendam humanam Verbi personam, tres rationes adducit, De angelis, de Spiritu sancto, & de anima. primam verò in hæc verba, Angelos Creatoris humanam effigiem gestasse, legisti tu Marcion, & credidisti: ac tantam corporis gestasse veritatem, vt pedes eis lauerit Abraham, Gene. 18. manibus ipsorum ereptus sit à Sodomitæ Lot, Gene. 19. colluctatus quoq; homini sit Angelus, Gen. 32. Si ergo Angelis inferioribus id licuit, multo magis Verbo Dei. Id ipsum repetit pag. 89.
9. Nonus locus eodem lib. pag. 16. vbi ex Euangelio citat, Spiritum sanctum forma corporali, specie corporali, figura corporali in Christum descendisse: ac fuisse affirmat in ipsa Spiritus sancti substantia corporis soliditatem. Idem igitur & in Verbo. Corpus autem, Tertulliani more, intelligi oportet substantiam ipsam verè visibilem.
10. Decimus locus eodẽ lib. pag. 19. vbi de Angelis dictum argumentum repetens, ait, Atqui tunc quoque inter Angelos ipse Dominus Iesus Christus apparuit Abraham, dicto cap. Gene. 18. Ipse Christus iam tunc adloqui, liberare, iudicare ediscebat, in hominis substantiali forma vera, non ficta.
11. Undecimus locus eodẽ lib. pag. 24. vbi de anima arguit, quæ substantia existens spiritualis, nihilominus corporis habet formam, & figuram suã seruat humanam post separationem à corpore. Igitur & Verbo Dei non erat inconsona forma talis.
12. Duodecimus locus eodem lib. pag. 29. vbi ait, Christum ipsum hominem à Deo ipso esse prolatum, & ex Patris semine esse Fi-

lium Dei. Quæ ambo dicta, quasi magna crimina, mihi obiicit Calvinus. Clamat, & nihil probat. Ignorantiam suam prodit, ac manifestè indicat, se Tertullianum nunquam legisse. Semen Patris ita vocat Irenæus. lib. 4. cap. 51. pag. 262.

Decimus tertius locus, pag. 32 & 34, eodem libro, Hominem ipsum, qui fructus veri est, flos & virga de radice Iesse, masculus aperiens vulvam: eum ipsum ait esse propriè Filium Dei, qui & filius Mariæ. Idem ait pag. 109. 245. 246.

Decimus quartus locus lib. de Resurrectione carnis, pag. 43. vbi 14
ait, animam ita per corpus exercere operationes suas vitales, vt à corpore separari, sit ei veluti mori. Hoc dicto ego sum vsus. Vnde Calvinus mihi sycophanticè imponit, quòd animas dixerim esse mortales, quum ego & ibi, & sexcentis aliis locis oppositum semper docuerim.

Decimus quintus locus eodem lib. pag. 71, vbi ex Paulo citat, 15
gloriam Dei, ac verum ipsum lumen Dei, in facie Iesu Christi à nobis cognosci. De qua visione veræ lucis diuinæ in facie Iesu Christi abundè scripsi lib. 3. de Trinitate. At Calvinus non vult Deum ita videre, cæcus perpetuò manens. Hanc ipsam diuinam visionem in facie Iesu Christi, ex ipsiusmet Christi dicto confirmat Tertullianus lib. aduersus Praxeam, pag. 436. Innumeri alii in Tertulliano sunt loci de visibili persona & forma hominis Christi, in Deo semper relucentis, vt pag. 112. 113. 219. 228. 229. 327. 331. 430. 431. 432. 438. Ipse homo Christus ambulabat in Paradiso, loquens ad ipsum Adam facie ad faciem. Ipse post Noe ad vltimum clausit arcam. Ipse descendit in forma hominis ad iudicandam turrim Babilonicam, ad loquendum cum Abraham, ad perdendos Sodomitas. Ipse visus ipsi Iacob, Moyfi in rubo. Ipse quartus apparuit in fornace ignis Babylo nici, cuius aspectus ibi dicitur similis Filio Dei, Danielis 33. Hæc & alia citat Tertullianus dicta pag. 431. & 432.

Addam adhuc locum vnum, vbi pulchrè ostenditur identitas 16
faciei Christi, olim & nunc. Aduersus Praxeam, pag. 428 & 429. Citat Tertullianus locum Exodi, ca. 33, vbi Moses desiderauit videre faciem Dei tunc delirescentem. Eam ideò non vidit tunc Moyses, sed post Christi aduentum vidit eam in monte in transfiguratione, Matth. 17. atque ita tunc eius desiderium impleuit Christus, vt pulchrè docet Irenæus, lib. 4. cap. 37. pag. 243. Ea ipsa est igitur semper intelligenda facies Christi, qualis nunc in celo relucet, qualis in transfiguratione visa est. Matth. 17. Qua-

lis à Paulo visa, Acto. 9. & à Iohanne Apoc. 1, *Supra splendorem solis lucens, luce increata. Si possibile esset, humanitatem ab ea luce nunc separari, adhuc maneret lux Dei in forma hominis, quæ homini erat iam conformata: atque ita ab æterno in Deo ipsa relucebat. Nunquã enim est mutata forma diuina. Sed iam ad Irenæum.*

Loci ex Irenæo, de humana Verbi persona.

- 1 Locus primus Irenæi est lib. 4. cap. 17. pa. 216 & 217, vbi ita ait, Iudæi excefferunt, nescientes, eum qui in figura locutus est humana ad Abraham & Aaron & Moysen, fuisse filium Dei, verbum Dei, Iesum ipsum, qui iam ad sui imaginem hominem format, qui & ipse erat iam figuratio Dei. Manifestissimè docet Irenæus humanam in Verbo personam, effigiem hominis, ad cuius imaginẽ & similitudinem est caro. Adde plasmata, vt aperte docet pag. 298. Ipsumque Verbum fuisse ait figurationem diuinam, quæ simul erat Verbum & Spiritus absque reali distinctione. Nam in ipsa spiritali Patris substantia erat impressa verbi figuratio & representatio, vt Tertulliani locus septimus nos iam docuit: cui simillima nunc docet Irenæus.
- 2 Secundus Irenæi locus est eodem lib. 4. cap. 15. pag. 215, vbi ait ipsum Abraham doctum Verbi representatione, nouisse quòd homo futurus esset Dei filius. Audis Caluine, in Verbo representationem hominis: Nunquam auditum est, dici alicubi sermonem, nisi representet. Proprium item sermonis est, profertur seu pronuntiarum. Quando igitur Iohannes ait, In principio erat sermo: intelligi oportet quòd erat pronuntiatio in Deitate, representans Iesum Christum.
- 3 Tertius locus est eodẽ lib. 4. cap. 8. pag. 211, vbi citat seniorema quẽdam Apostolorum discipulũ, qui dixerat, ipsum immẽsum Patrem in Filio esse olim mensuratũ: quemadmodum ait postea, ipsum inuisibilem Patrem in Filio esse visum. In ipsa enim immensitate & inuisibilitate lucis paternæ, apparuit, exiit, prolata est visibilis forma Filii, certa quadam mensura consistens. Atque ita Pater per se immensurabilis, in Filio est mensuratus: sicut inuisibilis in se Pater, in Verbo est redditus visibilis.
- 4 Quartus erit locus eodem lib. 4. ca. 37. pag. 242, & 243, vbi citas dictum Esaiæ cap. 6, Regem Dominũ sabaoth vidi oculis meis, ita ait, Filium Dei hominem videbant conuersatum cum hominibus. Et paulo post, Verbum quidem loquebarur Moysi, apparet in conspectu, quemadmodum si quis loquatur ad amicum

suam. Docet deinceps qualiter Moyſes deſiderauit olim videre faciem illam, quam poſtea vidit in monte tranſfigurata. Atque fuiſſe ſemper eandem faciem Chriſti, per quem Deus viſus eſt, & nunc videtur.

Quintus locus eſt lib. 5. pag. 298, vbi ait, totū ipſum Adæ corpus, ipſam Adæ carnem plasmationē habuiſſe de limo terræ, ad imaginē & ſimilitudinē Dei: eo ſcilicet quòd eſſet iam Chriſtus in effigie & forma Dei, vt Tertulliani locus tertius nos iā docuit.

Sexus eſt locus lib. 1. cap. 2. pag. 20, vbi ait, Eccleſiam accepiſſe ab Apoſtolis prædicationem hanc, Vnum eſſe Deum Patrem omnipotentem, & vnum Ieſum Chriſtum filium eius, qui ſuam habuit ex virgine generationē. Ergo ſi verè facta eſt ex virgine generatio, verè factus eſt ex virgine Filius. Subdit poſtea eſſe Filium Patris inuiſibilis, Filium viſibilem ſemper docens.

Septimus locus lib. 2. cap. 18. pag. 84, & cap. 47. pag. 117, Deum ait eſſe totum Logon, & totum Spiritum, nec eſſe realem diſtinctionem. Idem apertius docet cap. 48. pag. 118, dicens, Logos ipſe eſt Pater. Et cap. 56. pag. 126. ait, Patrem feciſſe omnia per Verbum. id eſt per ſemetipſum. Ad eundem modum lib. 1. cap. 19. pag. 41, & lib. 2. cap. 2. pag. 66, & lib. 4. cap. 52. pag. 263. ait, Patrem non feciſſe per Verbum, quaſi per rem aliam, ſed quia ipſe dixit, Fiat, & factum eſt. Idque ab Apoſtolorū diſcipulis ſe ita didiciſſe ait Irenæus.

Octauus locus lib. 2. ca. 10. pag. 76, Scripturas de Verbo & Spiritu ait non referri ad res diſtinctas, ſed ad diſpoſitiones Dei. Et eodem lib. ca. 47. pag. 115, Verbum & Spiritum ait eſſe myſteriū & diſpoſitionem exiſtentiſ Dei, ſubſiſtentiſ, prolatiſ, & ſeipſum ita exhibentiſ. Nō eſt facta productio, quaſi radii à ſole (nam hoc ſcinderet, ac diuideret Deum) vt ait lib. 2. cap. 17. pag. 82.

Nonus locus lib. 2. cap. 6. pag. 143. & 144, Filium Dei ait olim ipſi Abrahæ manifeſtatum, & plerique aliis. Ab ipſo Chriſto ait Legem eſſe Moſi datam, lib. 4. cap. 3. pag. 208. & 259. Quomodo, inquit, eſſet ſinis legis Chriſtus, ſi non initium eius eſſet? hoc pagina 224. Abraham cum Verbo peregrinabatur, & in eo videbat Chriſtum, vt ait lib. 4. ca. 12. pag. 212. Verbum ipſum vidit Iacob. lib. 4. cap. 23. pag. 221. Verbū iam olim aſcendebat, & deſcēdebat in forma hominiſ. lib. 4. cap. 26. pag. 224. & cap. 27. pag. 227. Verbū ipſū, homo Ieſus, videbatur in fornace Babyloſonica, perſonalis Filius Dei: idēq; à Daniele viſus eſt in nubibus cæli, lib. 4. c. 37. pag. 244. Idē ipſe in Paradifo loquebatur cū ipſo Adā. li. 5. pag.

314. Erat igitur in verbo persona visibilis, ac substantia vera.
- 10 Decimus est locus li. 4. ca. 33. pag. 235. Nomen Iesu Christi ait esse proprium ipsius Patris, ac imaginē eius imaginem Patris. Quemadmodū, inquit, si quis Rex filii sui sibi pingat imaginē, iuste illam dicit esse suam imaginem, ac imaginem filii: quoniā & filii eius est, & ipse fecit illam. Ad viuū exprimit quæ de Christi & Dei imagine ex Tertulliano iam docuimus: vt constet, Irenæum cum Tertulliano in ea re maximē conuenire: ac etiam Clementem, imò & Petrum ipsum, quem nunc audiemus.

Loci ex Petro Apostolo & Clemente discipulo.

- 1 Locus primus est ex primo libro Clementis, pag. 14 & 15, vbi ait Petrus Apostolus, Igitur Abraham quum rerum causas desideraret agnoscere, apparuit ei verus Propheta Iesus Christus, ac omnia quæ desiderabat, aperuit. Omnibusque ritē ac sufficienter edoctis, ad sedes rursus inuisibiles secessit verus Propheta Iesus. Quis hic plura testimonia desideret? Annon ille ipse qui apparuit Abraham, erat Verbum Dei personalis filius: homo Iesus Christus?
- 2 Secundus locus eadē pag. 15, Quum affligerentur, inquit, Israelitæ, apparuit verus Propheta Iesus ipsi Mosi, & Aegyptios plagis cælestibus affecit, populūque Dei eduxit ex Aegypto.
- 3 Tertius locus eodem lib. 1. pag. 21, vbi Petrus ait, Christus, qui ab initio, & semper erat, per singulas quasque generationes piis, latenter licet, semper tamen aderat, iis præcipuē à quibus expectabatur, quibusque frequenter apparuit.
- 4 Quartus locus lib. 2. pag. 37, vbi de Christo vero Propheta ait Petrus, Ipse verus Propheta ab initio mundi, per seculum currens, festinat ad requiem, passim apparens, & corrigens.
- 5 Quintus locus lib. 4. pag. 78, vbi Petrus ait, Deus quū fecisset hominem ad imaginē & similitudinem suam, operi suo spiramen quoddam & odorē suæ Diuinitatis inseruit. Cōtra Simonē magum & eius discipulos docet Petrus, esse nobis insitā Diuinitatem, cuius ratione est in nobis aliqua arbitrii libertas. Tertull. lib. 2. contra Marcionem, pag. 181. ait, Deum substantiam suam nobis communicare, per animæ sensum. Et pag. 182, hominē ait habere arbitrii libertatem, eo quod sit afflatus Dei, vtique liberi, & suæ potestatis. Idē multis docet pag. 185, & pag. 420. Nec seculus docet Irenæus, semper contra magos liberum arbitrium defendens. Nemo vnquam in Christianismo aliter docuit.

Iam ad singulos Caluini articulos respondere superest.

In ipso cum primis titulo mirari subit hominis impudētiam, qui se orthodoxū prædicet, quū sit Simonis magi discipulus, ve in Apologia mea iam euidenter ostendi. Quis orthodoxum dicat ministrum Ecclesiæ, accusatorem criminalem, & homicidam?

Ad primum articulum iam sæpius respondi, & ex citatis authoribus constat, in ipsa Dei essentia & vnitatem, non esse realem trium inuisibilem rerum distinctionē. Sed personalem esse inuisibilis Patris & visibilis Filii distinctionem. Hoc secundo modo, Trinitas sanctissimè creditur, primo non item.

Ad secundum, tertium & quartum similis est responsio. Quod de Mahometo ais, Turcæ hodie confirmant id ex parte verū esse.

Ad quintum, & externè & internè in Deo ipso subsistentiam Filii semper professus sum. Et tu tibiipsi contradicis. Nā si idealis erat ratio, interna iam erat. Nescis planè quid dicas. Quod de reali differentia subdis, à me iam est concessum & demonstratū. Obsecro te, lege diligenter locos à me hic præscriptos, & inducor hominis Christiani, orans vt tibi veritas reueletur.

Ad sextum dico, non potuisse confundi ea quæ non erant separata. ipsammet Sapientiam interpretatur Irenæus Spiritū sanctum, lib. 4. cap. 17 & 37. & Tertullianus lib. De carne Christi aduersus Hermogenem & aduersus Praxeam. Salomō item, quum Sapientiam sibi datam testatur, Spiritum sanctum intelligit. Id ipsum ostendit Ecclesiasticus, Baruch, & liber Sapientiæ, vt Epitola vbi ad te iam citavi. Totum Verbi & Spiritus arcana dico fuisse ad Christi gloriam, quia in eo est tota Verbi & Spiritus plenitudo. O te miserū, si damnate pergas ea quæ non intelligis.

Alium Deū dixi, aliū Deitatis modū. Hoc insuper tibi adieci, quod si hic loquēdi modus te offendat, dicas aliā Deitatis personam. Quid opus fuit, te in calumniam vertere id quod eodē loco ego iam castigarā? Candidus vbiq; se ostēdit animus tuus.

Annō quis dicitur filius eius, à quo genitus est? Ita dico, Deū de substantia ab æterno protulisse Filium hūc. Vnde dicitur ille ex Deo naturaliter esse.

Verbum est nunc caro Christi vnione hypostatica. Ita planè dico, carnem Christi de cælo esse, secundum essentiam Deitatis, ipsamque carnem dici manna de cælo datum. Reliqua item concedo, in sensū à me ibi exposito; qualia hic miser emendicas, & primam veritatem omittis.

Essentia dicitur, à qua quis sustentatur. Non te pudet, rāta hic referre, & nullam improbationis rationem adducere? Solo tuo

canino latratu putas Iudicum aures esse obtundendas?

11 Iniquè in omnibus agis, & falso locum citas. Non ita ego loquutus sum vt mihi tu imponis.

12 Prima pars verissima est, quam tu vtinam bene intelligeres. Christus in se vna persona est, sed in eo est verè Spiritus sanctus, qui etiam persona est.

13 Semè dico, vt Tertulliani locus duodecimus indicat, Irenæus item ibi citatus, & Philo in primo dialogo, pag. 201. vbi omnis tua calumnia apertissimè tollitur. In loco illo quem citas pag. 23, Sermo accipitur pro voce de cælo dicente hunc esse filium Dei. Locum illum nec legisti, nec intellexisti, ideò nihil ad rem facit quod citas. Quòd Verbi Deitas re ipsa aliud sit quàm homo filius, quis non videt? Reliqua quæ subdis, concedo vera esse.

14 Totum cōcedo, quia Deitas egit vice seminis, vt explicui dialogo primo, pag. 201.

15 Id item concedo, si vltimum de paternis elementis intelligas, dictum ob idealem eorum in Deo rationem.

16 Nihil ego corrumpo, sed vtranq; interpretationem recipio, & tu ibi falso omnia citas, & doces.

17 Confusus est tibi animus, vt intelligere verum nequeas: metaphoram dico.

18 Authores mecum de persona loquentes iam citavi, nihil omnino ludens, sed propriè dictionibus vtens, quibus tu perfidè abuteris.

19 Corpus Christi est nostro simile, excepta peccati ratione, excepto item, quòd ipsum est particeps Deitatis.

20 Transformatio, est ibi glorificatio, & illustratio.

21 Qui adhæret Deo, vnus cum eo Spiritus est. An est confusio, quã duo in vnũ vniuntur? An cōfundūtur anima & caro, quum vnum hominem faciunt? Ignoras miser ipsa rerum principia.

22 Quid rum posteat

23 Verum est.

24 Quodā modo, ferè, Similitudo quædā est, vt ibidem ostendo.

25 Tu teipsum cōfundis, non intelligens quæ loqueris, quasi id quod in Deo hypostaticè subsistit, non sic vera substantia.

26 Persona in verbo dicitur hypostasis visibilis, in Spiritu est hypostasis perceptibilis.

27 Bene habent omnia, nisi esset tibi animus peruersus.

28 Vera sunt omnia, si tu candidè intelligas.

29 Vera sunt omnia, eo excepto, quòd Spiritus Dei in se non di-

citur extingui. Sed quodā modo extinguitur in nobis : quia quū nos extingui mur, ipse recedit.

Maximè verum est : & tu miser à Simone mago illusus, id ignoras, vt seruum arbitrium statuens, nos facias truncos & saxa. Vide locum vltimum ex Clemente & Petro citatum. 30

Vt plurimum ita solet accipi. 31

Ita ferè omnia in figura contingebant illis. 32

Mendacium est quod commisces. Nulla creatura erat realiter, nisi ab instanti suæ creationis. 33

In omnibus est Deus, per essentiam, præsentiam & potentiam, & omnia ipse sustentat. 34

Tolle verbum ex eius substantia, & reliqua inuenies esse vera, tēque solum cum Simone mago delirare. 35

Verum est, multa in vnum ita coire, vt ossa, caro, nerui, anima, forma, spiritus in vnam hominis substantiam coeunt. 36

Scripsi, fateor. Quū tu me aliter docueris, non solum recipiam, sed & vestigia tua exosculabor. 37

Locus ipse, quem contra me citas, docet te perfidè agere. 38

Nam ibi dico, animam velut mori, & in inferno languentem detineri. Ergo si languet, adhuc viuit. Vide quid de anima superstitite ego scribam, pag. 76. 229. & 718. Alia quodammodo dicitur in re genitis anima: sicut propter accidentia noua, dicitur res noua.

BREVIS REFVTATIO ERRO-
rum & impietatum Michaelis Serueti à Mini-
stris Ecclesiæ Geneuensis magnifico Senatui
'sicuti iussi fuerant oblata.

Cum nouis ipsius Serueti conuitiis, quibus
claræ luci tenebras obducere conatus est.

Seruetus.

1 Tute primus accusator offers: deinde curans vt iubearis,
dissimulatur.

Q Vum initio dogma illud, vel potius cõuitiũ
Serueti agitari cœpisset, Trinitarios omnes
esse atheos, ipse pro defensione obtendit
nomen Trinitatis ab Athanasio, & Patribus Nice-
ni Concilii fuisse inuentũ. Huius mendacii, ac im-
pudentiæ Iustini martyris, Origenis, & similiũ te-
stimoniis conuictus, nõ destitit extra causam vaga-
ri. Magnificus ergo Senatus noster, vt modum di-
sputationi statueret, 2 nudas propositiones à nobis
describi voluit, quæ nostro iudicio impiæ essent, &
à recta fide dissiderent: vt siquid excusationis habe-
ret Seruetus ipse, in mediũ proferret, & quibuscũ-
que posset rationibus, probaret sua dicta. Deinde,
nos ex verbo Domini ostenderemus nihil temere
à nobis fuisse damnatum. Hoc præsentem Serueto,
nec recusante actum est. Paruimus. Quia omnes er-
rores recensere nimis longum erat, quosdam bona
fide ad verbum excerptos obtulimus, vt inde iudi-
ciũ de toto libro fieri posset. Nunc apparet an sibi
tyrannidem Sorbonicam arroget Calvinus, teme-
rè, & sine ratione damnando: an verò petulãter suo
more Seruetus, & sine vlllo pudore in calumniã
torqueat quod simpliciter, vt causæ ratio dictabat,
& mādaturum erat à Senatu, præcipua capita, de qui-

bus erat quæstio, exposuimus.

1 Trinitas realis est tunc publicata. Antea enim erat dispositio Trinitatis, vt ex Irenæo & Tertulliano docui. nec sec⁹ docet Iustinus, vt Origenem in medio relinquam. 2 Tu tibi ita fingis. 3 Cainiana homicidiali.

Quòd scopū sibi fuisse dicit vt Filii nomen probaret vbique Christo homini tribui, facile ex singulis libri eius paginis cōstat quàm friuola sit hæc cauillatio. Scopum hunc habuit, vt Dei Sermonē, qui carnem nostram induit, 2 negaret quidquam fuisse: 3 negaret à Patre genitū ante secula: & plusquam atrocibus conuitiis prōscinderet omnes pios, qui fatentur aeternum fuisse 4 Dei filium. Nos quoque asserimus 5 Sermonem Dei carne indutum, & Deum in carne manifestatum, propriè, & 6 verè esse Filiū Dei. Et verba Caluini sunt in quinto Institutionis capite, Christū etiā 7 quatenus homo est, 8 verè esse Dei Filium, licet nō humanæ naturæ ratione. Quare improbè Seructus Filiū 9 à nobis connotatum fieri mentitur. Interea Christū somniat 10 idèò Filium Dei esse, quoniā 11 cælestis sit eius caro, ac diuina, ex tribus increatis elementis composita. Quod nusquā inueniri in Euangeliis filii nomen contēdit, nisi de Christo homine acceptum, 12 de ea re nullum est certamen. Itaq; tumultuandi causam nō habuit: sed 13 Ecclesiam sceleratè turbauit mōstra sibi fingēdo, de quibus pūgnaret. Non mirum sanè est si Apostoli 14 Sermonē Dei in carne exhibitū, Filium appellent: sed interea videndum est, an Sermo ille non fuerit ante secula ex Patre 15 genitus. Nihil de tam abditto mysterio clarius dici potest, quàm quod habetur primo Iohannis capite: nempe quòd Deus 16 Sermo

f. ii.

apud Deum erat. Nam & maiestas æterna, & essentiæ vnitas, & ⁷ personæ distinctio illic disertè exprimitur. Ludit in ⁸ voce personæ Seruetus, ideã, aut ⁹ relucientiam esse fingens. Atqui Iohãnis verba tale cauillum ¹⁰ nõ ferunt. Et decimoseptimo capite, quum dicit ¹¹ Christus gloriã se ab initio habuisse apud Patrem: his verbis significat non se gloriã duntaxat, vel ¹² ideã fuisse, vt Seruetus imaginatur: sed potius fuisse ¹³ Sapientiam, quæ ex ¹⁴ Patre genita, & apud ipsum ¹⁵ residens, eiusdem esset gloriæ particeps. Realis etiã distinctio primo ad Hebræos capite notatur, vbi Apostolus ¹⁶ filiũ appellat expressam ¹⁷ imaginẽ hypostaseos Dei Patris. Nisi enim Patri sua esset propria hypostasis, nõ staret illud Apostoli, Filium esse eius characterẽ. Deniq; quisquis Deũ æternũ Patrẽ agnoscer, sicuti eũ Scriptura prædicat: æternũ quoque ¹⁸ Filium non negabit. Quisquis mundum à Deo Patre per Verbũ fuisse creatũ fatebitur, ¹⁹ realem distinctiõnem cõcedat necesse est. Et tamẽ si de verbo nobis rixari libeat, nomẽ Filii Dei, Prouerb. 30. cap. habetur extra ²⁰ humanæ naturæ respectum. Cæterum, quoniã hac de re quædam adhuc suis locis dicenda erunt, ²¹ nunc pluribus superfedemus.

1 Vide quid initio libri ego proponam pag. 5. & lib. 3. pag. 92. & in Epistola tua prima pag. 577. & in primo principio ad Melãthonem, pagina 689. Quum hæc legeris, te ita mentiri pudebit. 2 Mentiris. 3 Mentiris. 4 Et ego ipse id fateor pag. 182. & 733. 5 Personalẽ. 6 Non hominẽ ipsum. Ego hominẽ ipsum semper dico Filium, quẽ admodum & Scriptura. 7 Et Filius quatenus Deus, ergo duo filii. 8 Variæ nugæ sunt inuolutæ. 9 Ita certè ob gratiam vnionis, ais hominem Dei Filium non naturaliter. 10 Non ob id solum. 11 Exemplar eorum in archetypo Verbi fuisse dixi, pag. 120. 164 & 193. Sed tu omnia impudenter in malam partem vertis. 12 Imò maximum: nam tu perfide, ho-

minem esse propriè, & semper Filium non agnoscis. 13 Tu sceleratus eam turbas tuo Simonis magi dogmate. 14 Imò ipsissimum hominem, qui est Verbum homo, & Iesus Christus. 15 Personaliter. 16 Nescis quid propriè sit Sermo. 17 Verum est. 18 Personam ego propriè accipio, & tu abuteris. 19 Substantialem. 20 Tibi non intelligenti. 21 Homo. 22 Hypostasim dico veram. 23 Eam ipsam personam Christi. 24 Personaliter. 25 Verè. 26 Hominem Christum. 27 Ut explicui lib. 3. pag. 116. & Tertullianus pag. 41. 336. 353 & 354. 28 Verè. 29 Contra docet Irenæus, ut loco eius septimo citavi, ac etiam Tertullianus. 30 Mētiris, imò est propheta de Christo, & ad hominem Christum ita refert Ignatius ad Philippenses pag. 31. & Tertullianus pagina 157. Quam sis veritatis inops qui nullū aliud de Filio locū habeas, quis hoc non videt? 31 Nihil aliud ex Sacris adducere iudicatis, & illi triumphos decernite.

Quòd nonnullis veterū testimoniis abutitur, quàm indignè deprauet eorum verba, vel futiliter, ac de nihilo obtendat, digito monstrare promptum est.

1 Tu abutor futilis & impudens. 2 Scilicet.

Ex Tertulliano.

Primus locus quem adducit, nihil aliud continet quàm Filium Dei olim Patribus apparuisse in forma hominis, ut hoc futuræ incarnationis præludiū esset. Quod vno consensu vetustissimi omnes Ecclesiæ doctores, adeoque Sorbonici ipsi tradunt. Sed hoc nihil ad Serueti causam.

1 In ipsa Deitate subsistente, quam ob id ille vocat Christi personam in Deo, sed tu surdus ibi audire non vis nomen Personæ. 2 Nugaris. 3 Nugaris.

Secundo loco docet Tertullianus semper visum fuisse Dei filium. Hinc colligit Seruetus, semper aliquam substantiam visibilem extitisse, vnde conflatū fuerit Christi corpus. Atqui scit Tertullianus Christum dispensatione, non sua natura sub typo quodā fuisse visum. Deinde in Seruetum retorquemus hæc

iosa verba. Nam si visus est semper Filius, necesse est semper fuisse ⁴Filium.

1 Nec aliter differre à Patre quàm per visibilis & inuisibilis distinctionem, vt pagina 429. 430 & 431. 2 Sermonis natura est repræsentare: corpus item Verbo ob id tribuit Tertullianus. 3 Verum est. 4 Personalem.

Tertius locus quum nihil aliud affirmet quàm ¹imaginé Dei, ad quã creatus est homo, fuisse Filium, nulla indiget refutatione: quia nos semper idem ²professi sumus.

1 Formam & effigiem carnis in Verbo subsistentem tu confessus es. O impudentem tergiuersatorem. 2 Mentiris palàm contra mentem Tertulliani.

Ex quarto loco nihil probat nisi Christum esse ¹personam Dei: sed vicissim elici poterit ex cõtextu ²Personam Christi fuisse in Patre. Cæterùm simplex est ³scriptoris sensus, refulsisse in Filio ⁴Patris hypostasin, quum eadem esset essentia.

1 Faciē ipsam hominis ac illic personam & imaginem verã in Deo: sed Satan tibi oculos clausit. 2 Vtinam tu hoc crederes. 3 Tibi plane ignotus. 4 Quibus Chimæris.

Quinti loci summa est, Deum Patrem, qui per se est inuisibilis, semper fuisse visum ¹in Filio. Quod nos ²libenter amplectimur: non quòd Filii ³essentia visibilis fuerit: sed quia per sapientiæ suæ ⁴lucē Deus hominibus affulsit. Et quia Verbum Dei vinculum cõmunicationis fuit inter Deum & homines. Quàm ⁵flagitiosè Seruetus realem distinctionem euertere conetur, nobis tacentibus cuius conspicuū est. Quo sensu vocetur ⁶formalis dispositio, ⁷alibi dicemus.

1 Per Chimæras. 2 Imò maximè id ibi cõtendit Tertullianus, Filii substantiam visibilem & corporalem. 3 Tibi cæcamentum. 4 O nebulonem excæcatisimum. 5 Hæc est tota nostra quaestio non hic dissimulanda. 6 Vbi subdole fingit victus.

In sexto loco falsarius deprehèdetur: quia corpus

Christi imaginarium fuisse probare volens Marcion, Pauli dictum arripiebat, quod Christus figura repertus fuerit ut homo: opponit Tertullianus, simul dici fuisse in forma Dei. Atque hinc colligit formam cum veritate non pugnare. Verba sunt, Numquid ergo & hic qua & in effigie eius Dei collocat, æque non erit Deus Christus verè, si nec homo verè fuit in effigie hominis constitutus: Vtrobique enim veritas necesse habebit excludi, si effigies, & similitudo, & figura phantasmati vidicabitur. Quod si in effigie, & in imagine, qua Filius Patris verè Dei præiudicatus est, etiã in effigie, & imagine hominis: qua filius hominis verè hominem inuentum. Seruetus autem callidè, vel potius nequiter de suo supponit, Erat igitur verè imago Dei & hominis in Deo refulcens, & hominem referens. Deinde, fallaciæ suæ applaudens exclamat, Aurea verba mente perpetuò retinenda.

1 Tu solus falso niteris corrumpere sensum Tertulliani, qui de imagine, forma & effigie visibili semper loquitur. 2 Sed fuisse formam & effigiem in ipsa substantia Dei, sicuti in substantia carnis: & utrinque figura ipsa, & effigies substantiæ accedat. Hac ille. 4 Simon magus semper nequã & peruersus. 5 Excluse utrinque phantasmate.

Septimus locus adeò nihil illi suffragatur, ut eius delirium acriter potius oppugnet. Quamquam enim non verè, nec ingenuè citantur verba: re tamè videri posse dicit. Sed multo clariora sunt quæ apud Tertullianum sequuntur eodè loco. Filium enim, vel Sermonem substantia carere negat, qui de tanta substantia processit, & tantas substantias fecit. Quærit deinde an vacua, & inanis res sit Sermo Dei, qui Filius dictus est, & ipse Deus cognominatus est. Item, in qua Dei forma fuit? Vtique in alia, non tamen in nulla. Itè, Quæcunque substantia Sermonis fuit, illam dico

personam, & illi nomē Filii vindico: & dum Filium agnosco, secundum à Patre defendo. Totus in hoc est, vt realem distinctionem asserat. Quo maior est Serueti impudētia, & minus tolerabilis, dum in tam clara luce fumos spargere non dubitat. Quod se inducere negat, eo consilio facit vt inuidiam à se depellat, quam malignè, & calumniosè struebant hæretici. Interea clarè testatur duo se dicere, Deum & Sermonem eius, Patrem & Filium eius: sicuti radix & frutex duæ res sunt, sed coniunctæ: fons & flumē duæ species sunt, sed indiuisæ: sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne enim quod prodit ex aliquo, necesse est sit eius secundū de quo prodit: non ideò tamen separatum. Vbi autem est secundus, duo sunt: & tertius vbi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus à Patre & Filio. Tandem concludit, Ita Trinitas per confertos, & connexos gradus à Patre descendens, & monarchiæ nihil obstrepit, & œconomix statum protegit. Si qua verecundiæ gutta esset in Serueto, an hoc loco ad negandam realem distinctionem abuti ausus foret:

1 Dic nebulo, quare Tertullianus pag. 422, linea 4, & 423, linea 1, Sermonē ait esse structum, & constructum Spiritu & Sophia? Quæ fabricatio fuit illa? Visibilis, corporalis, vt ait. 2 Digreditur ne respondeat. 3 Verè. 4 Visibilem. 5 Dispositione. 6 Nihil tale est apud Tertullianum vnquam auditum, sed dispositionem tantum. 7 Mentiris. 8 Vt inuisibile, à quo quid existit visibile, ita ipsemet declarat. 9 Dispositione, vt ait. 10 Dispositione. 11 Nisi Simon magus tibi oculos euertisset, videres ibi nunquam dici realē distinctionem, sed formalem dispositionem. Inter Sermonē & Spiritum distinctionem tollit, & apertissime negat, pag. 442.

Octauus locus quum nihil doceat nisi Filiū Dei verè humana carne potuisse indui, quū Angeli ve-

rè humanis corporibus circūdati fuerint, apertè pro nobis facit, & Seruetum iugulat.

1 Imò olim verè humanam formam habuisse. 2 Iugulatus est Simon magus.

Nonus locus non aliò spectat, nisi vt ¹ sciamus Filium Dei in vera carnis substantia apparuisse. Id Seruetus furiose ad suū ² delirium trahit, quòd semper fuerit in Deo visibilis hominis substantia.

1 Imò vt sciamus veram in Deitate fuisse olim formā visibilem. 2 Non te pudet in re tam aperta oculos claudere?

Ex decimo loco nihilo plus quàm ex aliis elicere licebit, Christum inter Angelos Patribus ¹ apparuisse. Quod nemo vnquam negauit. Atque hìc quoque scelestà hominis falsitas manifestè tenetur. Verba Tertulliani sunt, Iam tunc Sermo Dei, & alloqui, & liberare, & iudicare humanū genus ediscebat in carnis habitu non natæ adhuc, quia nondum moritura, nisi prius & natiuitas eius, & mortalitas annuntiarentur. Seruetus autem adulterinam sententiam illi affigit his verbis, Iam tūc alloqui, & liberare, & iudicare ediscebat in hominis ² substantiali forma vera, non ficta.

1 In vera Deitatis substantia. 2 Annon ille verus corporalis habitus erat vera substantialis forma?

In vndecimo loco citando pudèdum in modum delirat. Disputat illic Tertullianus cōtra hæreticos qui ¹ Christi animam fingeant in corpus mutatam esse: & contendit diuersas esse substantias, ac naturas. Seruetus verò in contrariam partem rapitur, somnians in spirituali Christi substantia corpoream formā. quod nihil est aliud quàm hæreticis subscribere, quibuscum Tertullianus depugnat.

1 Mentiris, imò carnem Christi illi negabant.

Duodecimū locum nō minus impudēter, quā
perfidē corrumpit. Quasi doceat Tertullianus, Chri-
stum hominem, vt ipse imaginatur, ex Deo esse pro-
latum, & ex Patris semine esse ²Filium Dei. Fatemur
quidem illic haberi aliquid simile: sed longē diuer-
so sensu, In vuluam, inquit, virginis, Verbum suum
detulit Deus. Atque vt simplicius respondeamus,
non competebat ex semine humano Dei Filium na-
sci. Nisi totus esset filius hominis, non esset & Dei fi-
lius. Ergo iam ¹Dei Filius ex Patris Dei semine, id est
Spiritu, vt esset hominis Filius caro ea sola, quā erat
ex hominis carne sumenda sine viri semine. Vaca-
bat enim semen viri apud habentem Dei semen. I-
taque sicut nondū natus ex virgine, Patrē Deū habe-
re potuit sine homine, æquē cum de Virgine nasce-
retur, potuit matrem habere sine patre homine. Tan-
dem concludit carnem Christi ex carne esse factam,
in qua natus est: nempe à matre sola habere substan-
tiam sine semine virili. Atqui tanta est Seruētī im-
probitas, vt hoc colore fucare velit execrandū suum
errorem, Quod ⁴caro Christi conflata sit ex cælesti
Dei substantia.

¹ Verè prolatum. ² Verè filium Dei. ³ Memineris Ter-
tulliano idem esse Verbum & Spiritum, vt ipse testatur pagina
442. Idem etiam est ei Sapientia & Spiritus sanctus, pagina 369
& 422, quia realem ipse nunquā agnouit distinctionem. ⁴ Ca-
ro Christi vt erat in sepulchro, erat verè particeps Diuinitatis.

Decimumtertium locum sine controuersia am-
plectimur, modo hoc simul fixū maneat, Sermonē
Dei, qui carne nostra circūdatus ¹proprie Filius Dei,
& Christus vocatur, meritò cēseri æternum Dei Fi-
lium, quia ante seculū ex Patre genitus sit Sermo.

1 Christum tu ais esse propriè nomen hominis, & filium nomen Deitatis. Et nunc sophismate quodam ambo confundis.

2 Genitus ibi Christus Iesus, genitus homo corporaliter.

Decimoquarto loco frustra impium, ac profanum suum errorem tegere conatur. Illic dicit Tertullianus, animam per carnè fulciri omni sensuum instrumèto. Hinc minimè sequitur animam instar carnis mortalem esse factam.

1 Et tu mihi hoc impudentissimè imponis.

Locum decimūquintum calumniosè detorquet, quasi spiritualis Christi substantia ab initio fuerit visibilis, cū nihil tale velit Tertullianus, & aliud sonet eius verba, visum scilicet fuisse Patrem in Filio: quia se per Sermonem suum, quo placuit modo patrefecit. Quod receptum est omnium ætatū cōsensu.

1 Tam impudens es quàm si negares niuem esse albam.

Restat vt pro innumeris aliis testimoniis, quæ vètosus nebulo se habere simulat, paucos locos citemus: sed dilucidos, & certos, vnde genuinum scriptoris sensum intelligere liceat.

1 O Simonè magū, fascinatū hominè. 2 Ridiculus mus.

Libro aduersus Praxeam, pagina 421, perfectā naturam Sermonis statuit in mundi creatione. Et pag. sequenti, generatū esse dicit, quū prodiit ex Deo.

1 Contra te. 2 In creatione.

Eodem libro ratiocinatur Filium semper fuisse: quia Pater fuit: & distinctos esse: quia relatiuè inter se habeant.

1 In propria persona & substācia. 2 Personali distinctione.

Eodem libro, pag. 425, probamus ex Scripturis Deū Patrem Filiū sibi fecisse Sermonē suū. Si Filiū nominat, Filius autem non alius est quàm qui ex ipso prodiit: Sermo autem prodiit ex ipso. Hic ergo

erit Filius, non ipse, de quo prodiit. Non enim ipse prodiit ex semetipso. Porrò, qui eundem Patrem dicit & Filium, eundem & protulisse ex seipso facis, & prodiisse quod Deus est. Quid apertius quæri potest ad realem distinctionem ¹ probandam?

¹ Personalem. ² Visibilis ex inuisibili. ³ Scilicet.

Eodem libro, pag. 426, personas sic realiter distinguit. Nam Psalmum 110, citans, Spiritus, inquit, est qui pronuntiat, Pater ad quem pronuntiat, & Filius de quo pronuntiat. Sic & cætera, quæ nunc ad Patrem de Filio, nunc ad Filium de Patre, nunc ad Spiritum pronuntiantur, vnamquaque personam in sua proprietate constituunt. Idem argumentum vsque ad paginam 428, prosequitur.

¹ Filius ibi cum Patre confertur, id est Christus cum Deo, ut ibi exponit linea 9. Sunt enim prophetiæ de Christo homine.

Eodem lib. pag. 429, quomodo idem Christus visibilis sit, & inuisibilis, differit. ¹ Visibilis, inquit, & inuisibilis idem: & quia idem vtrunque, ideo & ipse Pater inuisibilis, quia & Filius visibilis. Quibus verbis significat inuisibilem fuisse Sermonem in sua essentia, dispensatione tamen fuisse imaginem Dei.

¹ Præceas hoc dicebar quod improbat Tertullianus. Sed tu nihil intelligis. Quòd verbum etiam fuerit olim visibile, docuit ego facte 96 & 731.

Eodem libro, pag. 435, ¹ Realis distinctio non obscure asseritur his verbis, Indubitanter alius ostenditur qui fuerit à principio, alius apud quem fuerit. Alius Dei Sermo, alius Dominus, licet & Deus Sermo: sed quatenus Dei Filius, non qua Pater. ² Alius per quem omnia, alius à quo omnia.

¹ Imò dispositionē ibi vocat lin. 2. ² Alium ait dispositione.

Eadem pag. vno verbo fulminat cōtra totam Serueti doctrinā, quum tolerabilius esse dicit 'duos prædicare diuifos, quàm vnum Deum versipellem.

¹ Quasi inconueniens id deducitur quū vtrunque negatur.

Quòd personæ nomine 'interior hypostasis notetur, patet ex pagina 441, vbi dicit Patrem fieri visibilem in Filio ex² virtutibus, non ex personæ re præsentatione. Et paulo pòst subiicit hoc modo apparere personæ vtriusque⁴ proprietatē. Et seipsū exponit, quòd nō visu, sed sensu in Filio videbatur Pater.

¹ Et externam & internam ego hypostasin dixi pag. 75, libri mei. ² Virtutibus ipsius. ³ Scilicet separata: qualem ibi petebat Philippus, vt ait linea 13. ⁴ Et actionis proprietate distinguì personas, ego apertè docui pag. 273, libri mei. ⁵ Per opera & miracula, vt ibi ait.

Nec aliter stabit quod habetur pagina 443, nō in vnum. nam neque semel, sed ter ad singula nomina tingimur in singulas personas, nisi constet realis distinctio.

¹ Quis neget à Deo Patre realiter distinguì Filium?

Eadem pagina ostendit quàm procul abhorreat à Serueti delirio, carnem Christi¹ esse ex Dei substantia, quum dicit, Caro Deus nō est, vt de ea dictum sit, ² Vocabitur Sanctum filius Dei: sed ille qui in ea natus est Deus. Et paulo pòst, initio pag. sequentis, Igitur Sermo in carne vtrūmne quasi transfiguratus in carnem, an indutus carnē? ³ Imò quia indutus. Deū enim immutabilem, & informabilem credi necesse est, vt & aeternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quod trāffigurat in aliud, desinit esse quod fuerat, & incipit esse quod nō fuerat. Quare consequens est vt sic caro factus intel-

ligatur, dum fit in carne, & manifestatur, & videtur, & contrectatur per carnem. Si enim Sermo ex transfiguratione, & demutatione substantiæ caro factus est, vna iam erat substantia, ex carne & Spiritu mixtura quædam, vt electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum esse, nec argentum, dum tertium quid efficitur: ex vtroque neutrum est. Atqui inuenimus illum vsquequaque Filium Dei, & filium hominis, Deum & hominem, sine dubio secundum vtranque substantiã in sua proprietate distantē: quia nec Sermo aliud quàm Deus, nec caro aliud quàm homo. Tandem concludit, Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in vna persona Deum & hominem Iesum. Quod si tertium quid esset ex vtroque confusum, vt electrum, non tam distincta documenta paterent vtriusque substantiæ: aut Sermo esset mortuus, aut caro mortua non esset, si Sermo esset conuersus in carnem.

1 Verè participem. 2 Non ratione carnis, sed ratione Spiritus conuenit sanctitas: ob idque & ipsum Spiritum sanctum ait ibi natū, linea vlti. 3 Hæc omnia vbique doceo, & nihil ad rem faciunt. 4 Omisisti xvii. Tertulliani locū de diuinæ illius faciei Christi visione olim & nunc, & qualiter impletum sit tantum Mosis desiderium quod habuit eam faciem videndi. Pulcherrimus est locus si conferas Irenæum, pag. 243, cum Tertulliano pag. 272 & 429.

Non putamus maiore cōgerie opus esse: quia satis manifestè, & solidè hic cōiuncta est hominis vanitas.

1 Non pluribus opus est, vt ira præter rem diuageris.

Ex Irenæo.

Quum primus locus tantū doceat Iesum fuisse, qui in figura hominis Patribus loquutus est: perperam Seruetus inde æternum hominis spectrum

elicit. Quod ex pagina 298, citat, prorsus² commentitium est.

¹ O impudentem. Et quando videbatur, tu spectrum solum fuisse putas. Si non mutabatur Deus, persistebat forma illa diuina. ² Hæc sunt ibi verba Irenæi, linea 23, Mixtionem animæ & spiritus diuini factam in Adami carne quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Erat igitur ibi imago talis qualis in carne. Spiritum item ait homini institum, quod magus iste negat.

Locus secundus nihil ad præsentem causam, Quod Abraham repræsentatione doctus fuerit inter homines futurum Dei Filium. Nam ex eo Seruetus insulse colligit non esse Sermonem, nisi repræsentet.

¹ Si vel tuam grammaticam, vel tuam linguam intelligeres, scires Sermonis esse proprium repræsentare. Eiusdem significationis ratione proprie apud Gallos dicitur *Parolle*. Sed te ita Satanas in omnibus euerit, vt omnibus semper abutaris.

Tertio loco simile impudentiam prodit. Irenæus hominis ignoti sententiam recitat, quod immensus Pater fuerit in Filio mēsuratus. Seruetus vnū ex discipulis Apostolorū fuisse diuinat. Sed illud leue. In hoc verò sita est improbitas, quod mēsuræ vocem, quæ² de mundi creatione illic accipitur, ad Christi substantiā trāffert. Scipsum enim exponit Irenæus dicēs, Omnia in mēsurā & ordine facit Deus: & nihil non mensum apud eum: quia nec incōpositum. Postea subiicit, Mēsurā Patris Fili³: quia & capit eū. Quæ verò assuit Seruetus, propria sūt eius cōmenta.

¹ Ita passim illum citat Irenæus, & vbique laudat. ² Mentiris, sed ab alio ad aliud ibi trāsit Irenæus. ³ Imò Irenæi & Tertulliani dicta.

Quartus locus ineptè adducitur, vbi palàm docet Irenæus, Patres Spiritu prophético passibilem vidisse Filium Dei, qui tunc impassibilis erat. Hoc verò totum non minus fidei nostræ consentaneum est,

quàm figmentis Seruetai aduersum.

¹ Impudentissime nōne vides ibi agi de visione rei tunc præsens, & ibi in conspectu positæ?

Quinti loci solutio iam antè posita est, ¹ vbi tertium locum Tertulliani exposuimus. Nemo enim nostrum sic desipit, vt Christum fuisse neget æternam ² Dei imaginem. Imò asserimus ³ imaginem quæ in Deo latebat, in homine refulsisse. Serueto autem nulla est ⁴ imago nisi visibilis.

¹ Iudicet cordatus lector, & authoris mentem bene notet.

² Chimeram inuisibilem. ³ Quam ⁴ Propriè.

Sextum locum suo more sine pudore deprauat. Illic dicit Irenæus rectam fidem esse in Deum Patrem, in vnum Dei Filium pro nostra salute incarnatum, & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas, cam, quæ ex virgine est, Christi generationem, mortem, & resurrectionē prædixit. Quàm ¹ nequiter verba mutet iste corruptor, lectoribus iudicandum relinquimus. Ad eò autem friuola est eius illatio, vt nobis verius ratiocinari liceat, ² Irenæum duplicem inuenere Christi generationē, dum eam, quæ est ex virgine, à Spiritu fuisse prædictam disertè testatur.

¹ Mētiris. Id ipsum quod tu, & ego dico: vt quid tam nequiter insurgis? ² Quis hoc neget?

Septimo loco mētitur negari ¹ realem distinctionem: quia nihil illic docet Irenæus, nisi totam plenitudinem Deitatis esse in Filio & Spiritu, vt consistat essentiæ vnitas. Cui cōsentaneum est quod habetur cap. 48. lib. 2. Libro 1. cap. 19, nihil aliud habetur nisi quòd Pater omnia creauerit ² per Verbum. Hic autè falsarius supponit, non fecisse quasi per rem aliam. Consentiant & alii loci. Nec verò alia est nostra cō-

fessio quàm quæ illic traditur.

1 Si λόγος ipse est Pater, non realiter differt, pag. 118. 2 Id est per ipsum, vt ait pag. 126.

Similis in octauo loco citando corruptela est. Negat Irenæus, vbi Scriptura plurali numero Dei meminit, diuersos notari deos, 1 sed dispositiones quæ in Deo sunt. Seruetus pro deorū varietate supponit res distinctas. Emissiones verò quales Valentinus, & alii fanatici homines fingebant, nemo est sanæ mentis qui non repudiet.

1 Quales ibi Verbum & Spiritus.

In nono loco 1 nihil est difficultatis. Imò videtur præuaricari Seruetus, qui tam fortiter insistit in probanda Christi æternitate. Agnoscimus quidem eius cauillum, quòd Christi caro æterna fuerit in idea relucente: sed quod nullo negotio diluitur. Neque enim aliud spectauit Irenæus, quàm Christum, qui in carne tandem manifestatus est, fuisse æternum Dei Sermonem, & Deum.

1 Imaginem veram ille ait visibilem, tu Chimæram inuisibilem. Nulla hic Caluino difficultas. 2 Hypostasi visibili subsistentem.

Decimus locus crassam 1 Serueti inscitiam coarguit. In hoc tantum incumbit Irenæus, vt ostendat communem, adeoque vnã esse Patris & Filii gloriam. Hic bonus interpres hoc prætextu personas miscet, vt nulla maneat distinctio.

1 Imò impudentissimum tuum refugium. Locus est aper-tissimus.

Cæterum, vt cuius pateat quantam iniuriam faciat Irenæo Seruetus, dum suis erroribus affinem esse fingit, paucos locos notare operæ pretium est.

Libro tertio, pag. 192, Si non accepit ab homine
 1 substantiam carnis, neque homo factus est, neque
 Filius hominis. Et si nõ est factus quod nos eramus,
 non magnum fecit quod passus est, & suscitauit.
 Quoniam autem corpus sumus de terra acceptum,
 & 2 anima accipiens à Deo spiritũ, quicumque con-
 fitetur quòd hoc factum est Verbũ Dei, suum plas-
 ma in seipsum recapitulans. 3 Sed quia mutilus est
 locus ille, sumamus quod dicit lib. 4, pag. 214, 4 Ve-
 nit ad nos vnigenitus Filius suum plasma in sei-
 psũm recapitulans.

1 Nihil ad rem: contra magos loquitur, qui carnem Christĩ
 negabant. 2 Hanc animæ Deitatem & tu cum Simone mago
 negas. 3 Aliò te confer, tu hic nihil agis. 4 Quis hoc ne-
 geti Christus ipse ad nos ita à Deo venit.

Eodem libro, pag. 216, In sulsum illud commẽ-
 tum de æternitate visibilis substantiæ 1 refellitur, &
 asseritur æterna Filii hypostasis. Verba sunt, Om-
 nes qui ab initio prophetarunt, reuelationẽ habue-
 runt à Filio ipso, qui nouissimis temporibus 2 visibi-
 lis & passibilis factus. Quò etiam pertinet quod di-
 cit eodem lib. 4, circa finem paginæ 239, 3 Adest e-
 nim Deo semper Verbũ, & Sapientia Filius, & Spi-
 ritus, per quos, & in quibus liberè omnia fecit.

1 Mentiris. 2 Quia antea delitescebat, & demum appa-
 ruit. 3 Quis hoc negat sed audi quid ibi dicat, Substantiam
 creaturarum fuisse in ipso Deo, quam nostram Deitatem tu ex-
 cæcatus semper negas cum tuo Simone mago.

Loci ex fictitio Petro, & Iaruo Clemente.

Quanquam nemini obscurum est librum il-
 lum, qui Clementis nomine excusus est, rhapsodias
 esse ab indocto aliquo Monacho malè confarcina-

tas: nihil tamé inde profert Seruetus quod non libenter illi demus. Sed vbi omnia obtinuerit, nihil proficiet. Fatemur Dei Filium semper inter Angelos fuisse principem, summi Prophetæ officio functum, & per omnes ætates latenter¹ sanctis Patribus adfuisse. Iacet nihilominus Serueti causa, vt palam appareat hominem communi sensu destitui, dum ita frigidè nugatur.

1 Visibili vera forma.

Sed quum sibi tantopere in illis rhapsodiis placeat, qua fronte¹ dissimulat Xisti epistolam, quæ illic inserta est: pag. 76, de æterna Patris & Filii, & Spiritus vnitæte. Sequitur etiã paulo post epistola Hyginii, pag. 60, qua æterna Filii generatio asseritur, quam probris quibuscunque potest Seruetus exagitat. Additur epistola Soteri, pag. 63, Quod Christus secundum carnem factus sit hominis filius, secundum Diuinitatem à Patre sit genitus. Quo evertitur impius Serueti error² de confusa Christi genitura. In epistola Euthychiani, pag. 78 & 79, asseritur communicatio idiomatum, cui adeò infensus est Seruetus, vt dicat mali dæmonis afflatu de charectere³ bestię sumptam esse, epistola nona ad Caluinum, pagina 602.

1 Ego Petri dicta ibi obseruo, non aliorum: quanquam & illa recipere possim. 2 Mentiris. 3 Ego in Apologia, pag. 703, inter Verbum & hominem idiomata communicari dico, sine vestris illusionibus.

Miramur etiam quo cõsilio nunc Ignatium sepe-
peliat, quem hæctenus tam superciliosè¹ patronum
asciuit. At ille, quisquis sit, Epistola ad Magnesia-
g. ii.

nos, pag. 22, ² Christum à Patre ante secula genitū fuisse ³ prædicat. Idē ad Phili. pag. 31, docet ad Christum referri debere illud Solomonis, quatenus est Deus Sermo, Quod est nomē eius, ⁴ vel nomen Filii eius: Idem ad Smyrnenses, pa. 51, testatur ⁵ vnigenitum Filium esse Verbum Deum: ex genere autem David secundum carnem esse Filium virginis. Idē ad Ephesios, pag. 74, Habemus medicū Iesū Christum, qui ante secula ⁶ Filius vnigenitus, & in principio Verbū: postea verò & homo ex Maria virgine, incorporalis in corpore, impassibilis in corpore passibili, immortalis in corpore mortali. Apertior certē distinctio inter duas Christi naturas exprimi non potuit: quas sic ⁷ confusē miscet Seruetus, vt ⁸ carnem faciat Deum, & Verbum neget ⁹ hypostasin habuisse à Patre distinctam.

1 Ex ipso plurima citavi & in Apologia, & alibi. 2 Homine. 3 Et ego. 4 Nisi esses cæcus, contra te id facere videres. 5 Christum ait. 6 Homo in forma Dei. 7 Mentiris. Formam in Christo nec confusam, nec alteratam, nec mutatam apertissimè doceo, pag. 201. & in Epistola tua 6, pag. 590. 8 Participem. 9 Mentiris.

Breuis cauillationum refutatio, quibus Seruetus errores sibi à nobis obiectos diluere tentauit.

Timuit fortē ne Iudices nescirent quā facundus esset, ac proteruus conuitiator, nisi Caluinum initiō vocaret ¹ homicidam, & multa subinde probra in eum euomeret. Nos autem de rebus ipsis simpliciter agemus.

1 Verē, & Simonis magi sectatorem. Nega te homicidam, & actis probabo. Simonem magum te negare non audes. Quis

tibi igitur fidem adhibeat, & te bonam arborem credati In causa tam iusta sum constans, & mortem nihil formido.

Præcisè à Seructo ¹ reiectum semper fuisse nomen Trinitatis quasi sacrilegum & detestabile, ex omnibus eius libris ² cōstat. Nunc autem in personali distinctione fucū facit. Nam, vt postea videbimus, persona illi nihil aliud est quàm ³ Dei trāssfiguratio. Omne verò ⁴ discrimen Verbi & Spiritus palàm abolet, eundem affirmans esse Spiritum cum Verbo. Nihil ergo excusationis admittit, nec quicquam veniæ ⁵ meretur prodigiosum illud blasphemiarum chaos: quod lectores in locis à nobis citatis reperient.

¹ Mentiris. Trinitatem ego voco, & docco, pag. 22. verissimā Trinitatem, pag. 24. & pag. 273. & 704, 705. & seq. ² Mentiris. ³ Imò hypostatica forma. ⁴ Reale discrimen tollo, non personale. ⁵ Detur ergo venia Simoni mago.

Quia silentio præterit quæ nos graui reprehensione digna cēsemus, iudicium ex lectione ipsa fiat. Nec est quod excuset, hodie quoque iactare Turcas obstaculo sibi esse Trinitatem: quia nō protinus sequitur, Mahometo ¹ iustā fuisse apostasiæ causam. Quòd verò in vna Dei essētia inuisibiles, & arcanae hypostases tam ² superbè repudiat, iam breuiter ³ ostendimus cum tota pietatis doctrina pugnare. Nisi enim fuisset realis inter Deum Patrem & Verbū distinctio, non potuit ⁴ Verbum in carnem descendere quin simul ⁵ Pater homo fieret. Quisquis ergo realem distinctionem Patris & Filii ⁶ confundit, Patrem è cælesti solio detractum ad crucem rapit. Et Paulus non dicit Christū fuisse Dei formam: quod Seructi figmēto congrueret: sed in ⁷ forma Dei fuis

se. Si ante susceptam carnem erat⁸ in forma Dei, realem hypostasin illi eripere fas non est, quæ formā hanc in se sustineret. alioqui euanida esset⁹ forma sine subiecto. Et absurda esset triplex nominis inuocatio in Baptismo, nisi realiter differrent¹⁰ Pater, Filius, & Spiritus. Proprium & separatum singulis tribuitur nomen. ¹¹ Nisi rem agnoscimus in Filio & Spiritu, sequetur Baptismum inani nullius rei nomine quoad Patrem & Filium, iustoriè consecrari. Nec¹² moramur Seruati effugium, quòd realiter in carne distincta sit à Patre Filii persona. Nā hinc illa¹⁴ nascitur distinctio, quòd Christi caro Deus est. Atqui¹⁵ longè alia Deitas, nempe æterna, nobis intelligenda est. Deinde in¹⁶ Spiritus persona constructus semper tenetur, quòd quum inuisibilis sit eius substantia, nomen tamen distinctum propriæ virtutis ratione habeat.

1 Iustam tu solus fingis impostor. 2 Realem in Deo distinctionem ego repudio. 3 Mentiris. 4 Ignoras miser, tanti arcani dispensationē. 5 Persona verbi est homo. 6 Tu solus cōfusus. 7 Idē est, sophisticis solis rationibus agit absque Scripturis, & ex falsis fundamentis. 8 Si erat in forma Dei, formalis erat distinctio. contra teipsum loqueris. 9 Fabulæ: quasi in Deo sint talia accidentia & subiecta. 10 Deus. 11 Homo. 12 Furtis agitatur. 13 Filium propriè de homine dici coniendo, vt Christū, vt Iesum. 14 Mentiris. 15 Blasphemia tuis hæc est. 16 Spiritus persona perceptibiliter subsistit, vt Verbi persona visibiliter. Ita docui pag. 163. 164. 704. 705, &c.

Si¹ internè Filii in Deo subsistentiā professus semper foret, non turbasset Ecclesiā de reali distinctione. Nam vel² inane spectrū est substantia, vel res aliqua. Si internè fatetur substituisse in Deo Filium,

³ realiter hunc ab illo distinguet. In verbis nostris
⁴ nihil est repugnantiae: sed prius caelum terrae mi-
 scebit, quam conciliet quae simul coaceruat figmen-
 ta: nullam scilicet personam esse nisi visibilem, & inter-
 ne fuisse in Deo Filii personam: fuisse ab initio hypo-
 stasin Filii, & non fuisse nisi figuratiuum filium: fuisse
 substantiam Christi futuri in nube, & columna i-
 gnis, & ex elementis increatis fuisse in matris utero
 conflatum. Quare merito conquerimur ipsum do-
 gmatum suorum impietatem fucose tegere, dum
 personae nomen opponit, ⁶ non intelligens hyposta-
 sin aliquam quae apud Deum intus resideat: sed ef-
 figiem, vultum, & representationem. In sua respō-
 sione palam omnem ⁷ distinctionem Filii & Spiri-
 tus euertit, ac plenis buccis ⁸ Sabellium spirat. Vn-
 de apparet quidquid prius de Trinitate, & perso-
 nis confessus est, mera simulatione fuisse implici-
 tum. Nam si ex animo tres esse in Deo personas con-
 cessit, ⁹ forma saltē, & dispensatione oportuit Ver-
 bum à Spiritu distingui. Atqui contendit ipsam-
 met ¹⁰ Sapiētiam esse Spiritum, ac si diceret, Ipsum-
 met ¹¹ Spiritum fuisse crucifixum, & resurrexisse à
 mortuis. Verum longè aliter Paulus, qui praedicat
 Christum ¹² excitatum esse ex morte à Spiritu Dei,
 Romanorum 8. Et alibi docet ¹³ Christum fuisse
 declaratum Filium Dei in potentia per Spiritum
 sanctificationis, Romanorum 1. Ad hunc errorem
 tutandum testimoniis, quae citat, ¹⁴ inscitē, vel ma-
 lignē abutitur. Irenaeus & Tertullianus interdum
 Spiritum cum verbo ¹⁵ improprie miscent, quia Spi-
 ritus in uterum virginis delapsus virilis seminis vicē

suppleuit. Iam Sapientiæ nomen non semper hypostaticè sumi fatemur: sed pro speciali Spiritus dono. Sicuti quū Sermonis fit mētio, sæpius intelligitur Sermo prædicatus, quàm interior ille qui semper apud Deum fuit. Atqui Seruetus Verbū polysemoneodem sensu¹⁶ ubique arripiēs, hallucinationis suæ pœnam Deo infligere non dubitat.

1 Internā ego hypostasim dico, pag. 704. 705, & alibi passim.
 2 Subsistentia vera internè de ipso Deo formata. 3 Non sequitur. 4 Monstrum horrendum. 5 Eadem qua intus erat, est externè exhibita visibilis. 6 Tu reipsum non intelligi, & clamas vt cæcus per deserta: cum sit tibi in corde tam ardens vindictæ spiritus, in maleuolam tuam animam non irrat sapientia. 7 Realiter. 8 Mentiris. 9 Hoc millies à me dictum. 10 Hoc priori non contradicit: & ita Tertullianus, pag. 269. 412. & 442. 11 Deliras, homo est verè crucifixus. 12 Nihil contra nos. 13 Hominem. 14 Tu abuteris, nihil intelligens. 15 Solus Calvinus propriè loquitur vt Simon magus. 16 Mentiris.

Mira certè hominis arrogantia, quòd quum sibi permittat 'alium Deū dicere pro alio Deitatis modo, sic in omnes pios truculentè inuehitur, qui ausi sunt in Deo vno tres reales personas dicere. Sed quid sibi vult hic nouus Deitatis modus? Ipse aliā Deitatis personā interpretatur eodem loco. Vnde colligitur² nullam fuisse Spiritus personam, donec repentè à Christi resurrectione emerfit. Quare³ duplex error est, quòd Spiritui sancto⁴ initium personæ ab illo tempore assignat, & personæ respectu alterum⁵ Deum statuit.

1 Et tu nebulo aliam Deitatem dicere non erubescis. Sed tibi omnia impunè licent. Adde castigationem quam loco eodem adieci. 2 Mentiris. 3 Mentiris. 4 Mentiris. 5 Nihil tale. Tametsi inuidiam fugitans, aliqua ex parte suos

errores hîc¹ retractat: hæc tamen expositio nullo modo est tolerabilis. Nam si ex Deo² naturaliter est homo Christus, & ex Dei substantia genitus qua tenus homo est, sequetur non esse illi nobiscum humanæ naturæ societatem. Atqui hæc blasphemia, in qua sibi tam benignè indulget Seruetus, totam spem redēptionis funditus³ euertit. Dogmatis falsitas clarè Apostoli testimonio refellitur, quum affirmat excepto peccato⁴ nobis per omnia fuisse similem. Sed totam redemptionem à radice euelli dico, nisi vera humanæ naturæ similitudo nobis cum Filio Dei⁶ cōstet. Quomodo enim staret illud Pauli, Per obedientiam hominis vnus iustos constitui multos: nisi⁷ in eadem natura expiatum esset peccatū: Vbi sympathia quam in Mediatore necessariā esse Apostolus docet, si⁸ tollatur naturæ similitudo: Vbi⁹ fraternitas, si carnis originem Christus è celo traxerit, quæ nobis ex terra manat: Vbi spes resurrectionis, nisi Christus mortale & caducum corpus, ac nostro simile semel induisset? Videmus ergo quàm¹⁰ exitiale sit hoc commētum, quod vinculū nostræ cum Christo vnitatis, quoad humanæ naturæ communionem, scindens, ac lacerans, nos ab eius vita separat. Cæterùm, lōgè aliter eum scripsisse, quàm nunc¹¹ simulet, ex locis citatis¹² patet, ac paulo pōst ex aliis¹³ patebit. Nam passim debacchantur in eos omnes qui Sermonem ab æterno genitū fuisse¹⁴ credūt, quum genitura secūdum ipsum nō nisi à carne¹⁵ principium habuerit. Videatur loci.

¹ Mentiris, id ipsum eisdem verbis dixeram, pag. 56. 207. & in primis epistolis. ² Naturali generatione. ³ Fabulæ: qua-

si Deitatis participatio tollat humanæ naturæ societatem. Indigna hæc quæ coram doctis proponantur. 4 Mentiris. 5 Accepisse omnia nobis similia. 6 Constat veré. 7 Quid ? an Deitatis expertæ 8 Nugaris. 9 Deitatis positio nihil horum tollit. obsecro te ne te tam friuolè torqueas.

10 Exitiali spiritu tu cum Simone mago in carnem Christi stomacharis, quasi non suam illa in sepulchro habuerit Diuinitatem. 11 Mentiris. 12 Scilicet. 13 Mentiris. 14 Mentiris, imò ab æterno.

Scitur quibus olim strophis inuoluere sua dicta hæretici soliti fuerint: partim vt apertam veritatis confessionem effugerent: partim vt colore aliquo prætexerent quod peruerse dixerant. Inexcusabilis est Serueti error, Quòd² anima Christi sit Deus, & caro Christi sit Deus, sicut ipse Christus est Deus: carnem Christi esse de cælo, & de substantia Dei. Duas enim naturas confundit. Imò veram humanitatem⁴ redigit in nihilum. Adde quòd Deitatem quãdam passibilem fabricat. Denique omnia⁵ permiscet. Tot mōstra vno verbo excusat, Quòd Verbum sit caro vnione hypostatica. Atqui non est hypostatica vnio, quum⁶ ipsa humanitas è cælo dicitur venisse. Et expositio ad quam nos ablegat, istas tergiuersationes præcidit. Sic enim ipse loquitur, pag. 232, Quòd anima Christi in propria Diuinitatis essentia totam mundi animationem ab æterno spiret: caro autem de substantia Dei genita habeat essentiã Deitatis. Interim nos vocat miseros, & mēdicos, qui reprehensionum ansas ex ignorantia primæ veritatis captemus. 7 Prima autem veritas illi est, inter duas Christi naturas non distinguere.

1 Hereticus hic Simon magus semper in carnem Christi spirat odia. 2 Annon in anima Christi separata erat hypostatica Verbi unio eam deificans? Lege quod scripsi pag. 270. 3 Mentiris. 4 Mentiris. 5 Mentiris. 6 Ipsa caro diuina. Si ipse sanguis dicitur sanguis Dei, Act. 20, & caro dicitur caro Dei, panis Dei dicitur, Iohan. 6. & de cælo.

7 Prima veritas & fides iustificans, est certò credere hunc hominem esse natura Filium Dei. Sed tu in cognitione Simonis magi iustificatum te putas.

Eadem arrogãtia nobis caninum latratum hîc exprobrat: quum tamen ne verbulum quidẽ de nostro protulerimus. Quærit an nos non pudeat tâca hîc referre, & nihil improbare. Nos¹ verò Senatus mandato defuncti sumus. Nec verò, si quid modestiæ haberet, debuit illi molesta esse defensionis libertas quæ dabatur. Quum dixerit essentiam corporis & animæ Christi esse Verbi & Spiritus Deitatem: & Christum² ratione corporis & animæ esse ab initio, an erat tâcædi erroris improbatio difficilis? Nisi enim reperiatur in carne & anima Christi vera humanitas, & nostræ similis, excepta corruptione, Mediator esse desinet: ⁴ quia homo non erit. Nihilo plus negotii erit in refellendo illo delirio, Quòd Deus erat Verbum & Spiritus, Verbum & Spiritum in corpus, & animam variè dispensans. Neque enim obscure transmutationem Deitatis in humanam Christi naturam ⁶ asserit. Quod est Christû prorsus à nobis diuellere. vbi enim fraterna cõiunctio, ⁷ si eiusdẽ naturæ nõn sumus cõsortes, sed arcana infusione ex Verbo, & Spiritu ab initio cõfectus fuit homo ille qui futur⁹ erat⁸ Redẽptor? Deinde quod⁹ corpus crucifixû fuit,

& quæ anima extremæ tristitiæ, & mortis doloribus subiecta: quæ vtriusque essentia nihil aliud sit, teste Serueto, nisi Verbi & Spiritus dispensatio, vel infusio in nouam formam: Sed quemadmodum Paulus dicit, ¹⁰ hæreticum hominem, qui monitus nõ resipiscit, à seipso esse reprobum: ita errores ipsi sine longa disputatione seipsos conficiunt.

1 Ita fingis. Senatus permisit tibi accusatori auido, vt contrà scriberes. 2 Ratione Deitatis quæ in corpore est simul & anima. 3 Et similis est, & Deitatem habens. 4 Rem inuisibilem ais esse hominem, & ipsum hominem non esse hominem. 5 Communicationem vocas tu transformationē. 6 Mentiris. 7 Iam pudet toties respondere bestialitari hominis. 8 Vtriusque naturæ. 9 Verum corpus in quo Deus habitabat, vt ait Ignarius, pag. 12. 10 Qualis est Simon magus.

Clamat iniquè secum agi: quandoquidem non ita loquutus est. Atqui postquam quæstionem mouit, An homo Christus dicatur Sapientia, & virtus Dei: subiicit de abstractis nominibus magnam esse Scotistis difficultatem, sed Hebræis nullam: quia tritum sit apud eos vocari Dei ¹ quicquid est excellens. Nunc expendant lectores an illa vulgaris locutio Christi elogio conueniat. Qualis enim Christi Deitas, si tantum ² excellentia censetur?

1 Ira à minori ad maius viam parabā. 2 Annon & ibi sublimiora de Christi Deitate sequuntur?

¹De prima parte aliquid iam suprà attigimus, hominis Christi personam in Deo sumi pro ²figuratione: substantiam ³pro conflatura illa quæ ab eo vocatur Dei in carnem dispensatio. Tales præstigijs quæ solo nutu probare nobis velit, cur irascitur si ⁴Deo potius credimus? Secundū mēbrū modis omnibus absurdū est. exponit quomodo Chri-

Itus duas habeat personas, ¹ quia in eo verè est Spiritus, qui etiam persona est. Atqui excipere licebit, Quia in eo est verè pater, sicuti ipse pronuntiat, ⁶ tres habere personas. Ita elabi non potest quin omnia ⁷ pietatis principia corruerit.

¹ Iohannes dicit se vidisse id quod ab initio est. Quid illud est? ² Figuratiõem vocat Irenæus 217 pag. ³ Nouas voces tuo mēdacio mihi imponis: tuæ igitur sunt præfigia. ⁴ Nihil ex Deo tu citas. ⁵ Negas tu Christum esse verè Spiritu sancto vnctum? ⁶ In Christo dico esse Deum, qui est tres personæ. ⁷ Sophismata ab hominibus conficta, vocas pietatis principia.

Quum nihil ad rem in sua responsione afferat, tantum ad considerata eius dicta oculos aperiant lectores. Nam si 'Verbum fuit semen Christi, & res alia à Filio, cōcidit illud, Verbū carnem esse factū. Nunc ² causatur vno in loco se Verbū ³ posuisse pro voce Patris. Atqui futile est cauillum. Toto enim contextu probandum sumit, quòd Sermo aliud sit quàm ⁴ Filius. Et hoc satis apertè declarat, quū dicit in mūdi creatione prolatum fuisse Sermonē Christi gratia. Et alibi, ⁵ rorem fuisse naturalis genituræ. Item, Christum fuisse genitū per Sermonem. Quū hæc omnia contumaciter vera esse defendat, palā est ab eo ⁶ labefactari redēptionis nostræ mysteriū: quia ⁷ euanesceat illud Iohānis, ⁸ Verbū caro factū est.

¹ Esaiæ 45. 55. & Psalmo 71, dicitur Verbum ros, nubes, pluuia germinare faciens Christum. Semen exposui, Deitas agens vice seminis, pag. 201. ² Mentiris. ³ Non ego, sed Iohannes ipse, ibi citatus, Iohānis 5. ⁴ Homo. ⁵ Ita David & Esaias. ⁶ Mentiris: ego tua figmenta labefacto. ⁷ Mentiris.

⁸ Vide pagi. 266.

Fatemur quidem in formanda Christi carne Sp̄

ritus virtutem fuisse loco feminis. Sed hoc nihil ad phantasma Serueti, Quòd Verbum fuerit semen generationis.

1 Eam ipsam ait Iraneus Verbi virtutem, & Verbum fuisse commixtum suo plasmati, pag. 263, linea 1. Ita Tertullianus semen vocat Verbum ipsum. simul & Spiritum pag. 29, & 442.

Hinc perspicitur quàm cæca sit eius obstinatio. Tota Scriptura clamat Christum esse semen Abrahæ, & filium Davidis. Seruetus carnem eius ex quatuor elementis conflatur, quorum tria fingit increata, vt paulo post videbimus. Ita alienus erit Christus Serueti ab eo, qui olim in Lege, & Prophetis promissus est. Iam in eius dictis implicita est deformis vtriusque naturæ confusio. Nam hypostasim vnâ vult commixtam esse ex Deo & homine; quia in vnâ essentiam coaluerint.

1 Et semen Dei, Malachiæ 2, & germen Dei, Esa. 4. 2 Elementa creata quatuor in eo dico sicut in nobis: sed ei addo Verbi substantiam, quam exemplarem fuisse dico, vim in eo exprimentem trium superiorum vt roris cælestis. vide pag. 120, & 156. Mysteria magna sunt hæc Simoni mago incognita. 3 Talis erat promissus, qui ex Verbi rore cælesti germinaret, vt pa. 120. & 156. 4 Vt anima & caro sine confusione. Si substantialis fuit vnio, vna inde substantia resultat.

Nihil falsò à nobis citatum est, sicuti pro solita sua improbitate nos insimulat. Contendit enim sic locum Apostoli exponi debere, Quòd Christus à morte liberaturus humanum genus, quasi in suum gremium assumpserit. Et huc perperam detorquet octo vel nouem Scripturæ testimonia, ne fateri cogatur Christum esse ex semine Abrahæ.

1 Emendatus fuit postea numerus. 2 Et quotidie assumat: nam verbum est præsentis temporis. 3 Mentiris. 4 Nebulo pessime, an id ego ynquam negauit

Si metaphora Seruetum hîc excuset, nihil erit in religione quod non eludere liceat: fatetur personam Filii, postquam homo factus est, realiter à Patre esse distinctam. Illum Scriptura vnicum prædicat, Seruetus Spiritum illi adiungit, quasi secundò genitum. Quid saluum amplius nobis manebit in Scriptura: Mutua enim relatio postulat, si Christus vnigenitus est Dei Filius, ne alterius cuiuspiã Deus sit naturalis Pater. Adde quòd nominatim illic Verbum & Sapièntiam cum Spiritu comparat. Eadem, inquit, figura vocatur + Pater Verbi.

1 Quia Christus ait ex Spiritu nasci Spiritum, Ioannis 3. Spiritum sanctum nasci ex Deo docuit Athanasius, vt citavi pa. 41. Id ipsum docet Tertullianus, pag. 443, linea vltima. 2 Mentiris, quia non pari ratione. 3 Verè. 4 Si sine hominis persona Verbum intelligas. Nebulo iste sententias meas trûcat, vt per fas & nefas mihi imponat.

Quando iam liquidò ostendimus ipsum nunquam intellexisse quid veteres sentirent, vel perfidè ipsorum testimonio abuti, restat vt illusionè eius obseruent lectores. Prius confessus est Trinitatem sanctè credi, modò ne inuisibiles personæ credantur, Articulo primo. Nunc quum vnã tantum personã relinquat, neget se versipellè esse, si potest.

1 Mentiris. 2 Tu solus perfidè ipsis abusus es. 3 Tres seu realiter distinctæ. 4 Mentiris nebulo, sed in hominis creatione vnã dixi personalem imaginem, & visibilem faciè, ad cuius imaginem est caro Adæ formata. Hoc non tollit Spiritum sanctum suo modo dicti personam, ac etiam Patrem. Itãnc semper eris sycophanta

Quum responsio Serueti cum hac exceptione dicat corpus Christi simile esse nostro, vt sciamus ipsum esse Diuinitatis particeps, incogitãtiã dãnã

dus erit Apostolus, cui tantum in métem venit pec-
 catum excipere. Per omnia testatur ¹ Christum nobis
 fuisse similem in natura humana, excepto pec-
 cato. Ingerit se ex opposito Seruetus, & discrimen
 longè maius obtrudit, quòd Christi corpus ex tri-
 bus elementis increatis compositum fuerit, ² à ma-
 tre nonnisi quartam habeat portionem, quæ etiam
 ipsa in Deitatem ³ conuersa est. Atqui longè etiã ali-
 ter Paulus, qui secùdum carnem affirmat Christũ
 esse filium Dauidis, & ex Patribus descendisse, ¹ & ⁹
 ad Romanos capite. Nò particulam carnis illic no-
 minat, sed ⁴ carnẽ in solidum, cuius respectu Chri-
 stus sit Dauidis filius. Vbi etiam Deitatem palàm à
 carne discernit, docétque Christum esse Dei Filiũ,
 quòd aliquid maius carne habeat.

¹ Quòd ad hominis proprietates attinet. Tam futilis est obie-
 ctio vt si micã frõtis haberet Calvinus, puderet eum toties repe-
 tere. Dic nebulo, An erat Christus nobis similis in deitate? Detur
 humanitas Christi vt tu vis, pura creatura: adhuc est illa nobis
 dissimilis in hoc quòd à præsentè sibi ipsa Deitate illustratur.

² Mentiris sycophanta imperitissime. nam quatuor omnia
 elementa creata ei à matre tribuo. lege quæ ad 15 articulum nunc
 scripsi. Hic ipse articulus 19 à te scriptus te falsarium ostendit.

³ Mentiris. ⁴ Tota caro, quidquid à Deitate secernitur, est ex
 femine Dauidis. Rũpitur magus iste quòd Deitatis participem
 faciam Christi carnem, quæ de Spiritu sancto genita est.

In Poetarum fabulis nulla metamorphosis ¹ tam
 ridicula quàm ista in verbis Serueti, quòd humanã
 materiam in Deum transformauerit Spiritus san-
 ctus: quia ² glorificata fuerit Christi humanitas. At-
 qui longè distat ³ qualitas à materia.

¹ Ridiculè magus agit cum carne Christi. ² Glorificatio
 dicitur transformatio, Matth. 17, & Philipp. 3, vide Dialogum 2.

pag. 270 & 271. 3 Qualitatem nebulo ais Christi gloriam. Imò substantialis est lux diuina.

Iudicent lectores nunquid excusationis admittant sententiæ quas ¹ damnauimus. Et tamen ² elementa rerum nos nescire clamat Seruetus, quia nõ cõcedimus ex Spiritu sancto, & anima humana extitisse Christi animam. Fatemur vniri corpori animam, vt simul hominem efficiant, modò singulis maneat sua proprietates: ³ sed longè aliud est vnio, quàm substantialis vnitas.

¹ Sicut damnasti Astrologiam, quam nec à limine vnquam salutasti. Hæc est impudentia tua iudicare quæ nescias. ² Verè, sed solam Grammaticam. ³ Vbicunq; est substantialis vnio, ibi est vnitas: sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.

Superbè ridet quòd nobis absurdum videatur, Christum non debere censerì creaturam, ¹ quatenus homo est. Sed hinc eius securitas, quòd humanam naturam Christo ² non tribuit, sed ³ fabricat sibi inane phantasma, vt eum à nobis diuellat, ne sit os ex ossibus nostris, & caro ex carne nostra, ⁴ nõsque vicissim caro eius simus.

¹ Hoc de tuo adiucis, impostor. ² Mentiris. ³ Mentiris. ⁴ Imò verè participes carnis & ossium eius, Ephes. 5.

Quando sine difficultate transiit Seruetus quod ¹ primis Scripturæ elemētis palàm repugnat, eo turpius suum stuporè prodit. Si immediatè & corporaliter communicata fuit Christo Patris Deitas, ² sequitur ipsum non prius fuisse Deum, quàm homo extiterit. Nam aduerbium immediatè, ideò posuit, vt æternam verbi hypostasin tolleret. Ad hæc, reputet lectores qualis sit Christi Deitas ³ si eam nõbiscum habeat communem.

1 Quæ tu omnia ignoras. 2 Ab angulo ad parietē. 3 Mentiris. 4 Ipsa natura De⁹ nobis ex gratia suā gloriā cōmunicat.

Quidquid prætexat Seruetus, absurda est, & 1 minimè ferenda comparatio. Quid enim affine habet Verbi descensus in carnem cum Spiritus sancti descensu in animas, nisi quòd Seruetus 2 mutuatitiam solùm Deitatem Christo tribuit, vt nos pariter cū ipso faciat deos? Atque illic seipsum exponit, quòd scilicet elementaris sit, & 3 diuina Spiritus substantia quæ in nos diffunditur: sicut elementaris, & diuina tuit corporis Christi substantia. 4 Expendant diligenter lectores, & clarè agnoscent sub Christi nomine Seruetum imaginari phantasma.

1 Sūt ibi analogiæ variæ etiā stirpium & vermium. 2 Imò naturalem. 3 Elementari Spiritui Christi communicata.

4 Expēdant te magum, phantasma absque veritate aliqua.

Vtinam 1 intelligeret Seruetus quid sit hypostasis. Quum tamen inscitè balbutiat de rebus ignotis, ratione, & iudicio priuat quicūque eius deliriis non subscribunt. Primo, ideam nobis ponit pro Dei Sermonē, qui Deus erat apud Deum. Deinde, Sermonē facit relucētiā, vt sit visibile 2 spectrum, nō res intus subsistens. Tertiò, 3 λόγος dicit Spiritum Christi. Vnde sequetur Spiritum carnem esse factū. Ita Christus non erit Sermo Dei manifestatus in carne: sed Spiritus sanctus homo factus. Quarto, Sermonem dicit 4 fuisse lucem sermonis. qua definitione 5 tollitur substantia.

1 Vtinam & tu. 2 Et Augustinus, & Clemēs Alexandrinus, & alii ita vocat, vt citauit pagina 140 & 141. 3 Mentiris. 4 λόγος tibi dico, & Spiritum tibi dico, sed nō omnino idem, quū dux semper fuerint hypostases. 5 Lucem Christi dixi, & tu hic Sermonem mentiris. 6 An lux Dei substantia?

Perceptibile facit hypostasim Spiritus, licet visibilis non sit: dicat quo sensu fuerit percepta. Et tamen meminisse debuit quam violenter flagellet¹ pios omnes, qui ab intuitu, & figura personam separant. Secum ergo manifestè² dissidet, ut iam prius visum est. Ac secundus locus impudentiam eius clarius convincit, ubi dicit³ vmbra[m] Spiritus in mundi creatione fuisse: nisi fateri velit⁴ hypostasim nihil aliud esse quam vmbra[m].

¹ Id iam exposui pagina 198, lege si velis. ² Pueras est errorem docere, sed non criminaliter accusare. ³ Contra vim vocabuli.

⁴ In quot ⁵ Quia non tam lucide tunc illustrabat. Lege paginam 191, 192, 196 & 265. Me omnia explicuisse nosti, & contra conscientiam agis. ⁶ Nugaris.

Ergo victoria Serueti in conuitiis erit. Quæritur enim quomodo Christum intelligat æternum esse Deum. Hæc est eius definitio, Aeternum fuisse Christum, sicuti res alias omnes. 'quanuis ordine primū esse Christum dicat. Ad tam sacrilegam vocem quā omnes piæ mentes exhorreant, vno verbo dicit Seruetus omnia bene habere. Hic animaduertant lectores quid ei significet persona, idea, & hypostasis: nempe imaginariam quandam æternitatem quæ Christo & lapidibus sit communis. Nec verò expositione indiget quod subiicit, Deus æterna sua ratione Filiū sibi visibilem decernens, hoc modo¹ visibilem se exhibuit. Hæc igitur erit Christi Deitas, quod æterno Dei decreto² Filius est ordinatus.

¹ Qui solus erat figura substantiæ Dei, splendorque visibilis gloriæ hæc verba ibi sunt adiecta, quæ tu perfide omisti, ut sententia mea videretur exosa. ² Imò substantiam verè formalem. ³ Nihil tale. ⁴ Qualē antea hypostaticè præformauit. ⁵ Substantialiter formatus & exhibitus.

Antequam mortuus esset Christus, clamabat Iohannes Baptista, ¹De plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia. Item, Non enim dat Pater Spiritum ad mensuram. Seruetus Christum Spiritu suo ²nudatum proponit. nec tantum hinc agitur de mensura donorum: sed Christum prorsus Spiritu ³ nouo priuat. Iam si verum est quod subiicit, quum mortuus est Christus, totam Verbi & Spiritus gloriam hypostaticè in se non continebat. Ergo ⁴perdiderat gloriam quam ipse testatur sibi initio fuisse apud Patrem, antequam mundus crearetur. Iam quid hoc sibi vult, quod Deus Spiritum superuenientem in Christum, veluti in nospirando, totam Deitatem iterum ⁵quadam dispensatione spirauerit? Qualis fuit Christi Deitas quum mortuus est, ⁶si totam Deitatem postea in eum spirauit Pater? Saltem si diceret humanae Christi naturae infusam esse ⁷nouam gratiam, plus haberet coloris. Quamquam nullo praetextu excusari hoc potest, quod Spiritum nouum Christus non nisi à resurrectione acceperit. Nunc in eo cardine vertitur quaestio, Vbinam consistat Christi Deitas. Seruetus totam Deitatem illi spiratam esse dicens postquam à morte resurrexit, semideum fuisse docet, quoadiu versatus est in mundo. Atqui Iohannes affirmat tunc spectatam fuisse eius gloriam quae vnigenito Dei Filio congrueret.

¹ Plenitudinem Spiritus semper habuit Christus, sed ante resurrectionem non erat glorificatus, Iohan. 7. Ita dicitur nouus Spiritus ob nouam gloriam. Imò totus ipse Christus est factus homo nouus, noua omnia. ² Mentiris. ³ Deliras. ⁴ In carne & anima omnia seruabantur. ⁵ Noua gloria. ⁶ Eandem dispensationem nouam. ⁷ Quid tu gratiam vocas qualitatem

creatam: Nulla talis est in Christo qualitas: sed ipsissima Deitas. Magorū sunt uæ illæ qualitates infusæ. Nos participes verè sumus Diuinæ naturæ, 2. Pet. 1. Templum Dei nos verè inhabitantis, 2. Corin. 3. & 2. Corin. 6, Iohan. 14, Act. 2.

Si hæc vera sunt, quid iam falsum dicere licebit? Si in Dei substantia partes sunt, & partitiones: si vnaquæque portio Deus est, quid iam nõ licebit de maiestate Dei comminisci, & garrere? Certè non aliter versutum nobis Deum fabricat, ac Protheum quæpiam. Sed non noua est hæc licentia, quum accidentia sibi in Deo fingere permittrat, Epistola 7 ad Calvinum. Magis etiam execrabile est quod sequitur, Spiritus regentorum coæternos esse, & consubstantiales Deo. Et tamen Spiritus ipsos alibi dicit extingui, non tantum quum morimur, sed quum excidimus à Dei gratia. Plusquam ingeniosus erit artifex, si hæc inter se conciliet, substantiam Deo coæternam extingui: & Deum esse immutabilem, nec obnoxium obumbrationi.

1 Quadam Deitatis dispensatione. 2 Cum Simone mago tu Deum in angulo concludis: ego eum dico esse omnia in omnibus. 3 Entia omnia dico in Deo sustineri. 4 Vide nebulo primam respõsionem. Regenti sunt verè participes Diuinæ naturæ, singuli suis modis, singulisque dispensationibus semper æternæ: in eis est substantia Spiritus æterni, lux æterna, sedes eorum ab æterno in ipso Deo sunt præparata: regnum eis ab æterno paratum, & eorum nomina ab æterno in cælis conscripta: Oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ sunt hæc æterna nobis ita in Deo parata. Si Calvinus his animū intenderet, non esset in accusando tam execrabilis. 5 Vide in quo sensu Paulus vocat Spiritū extingui, 1. Thess. 5. 6 Tu plusquā pessimus. 7 Mētiris.

En hominis captiui modestia, rabiosè clamare Simonis magi esse discipulos, qui substantialē Deitatem non cõstituunt in hominis anima. Atqui ne-

mo vnquam ex Prophetis, nemo ex Apostolis, vel Martyribus de hoc Spiritu³ Deitatis meminit. Scimus quidem ornatam fuisse hominis animam cælestibus donis, quæ gloriam & imaginem Dei referrent: & quidem diuinas esse eas dotes libenter fatemur: sed ⁴fictitia ista Deitas quæ halitu Dei Seruetus afflatam dicit, nihil infusus Dei gratiis affine habet.

1 Rabies est tua qua ad mortem vsque persequeris. 2 Doctores nunc taces, qui omnes in Christianismo ita semper docuerunt. 3 Imò Genesis 2 & 6, Job 33 & 34, Psal-103, Ecclesi. 12, Esaia 41 & 57, Johan. 1, Act. 17, & plerisque aliis locis. Ita etiam ex Petro, Clemente, Irenæo, Tertulliano, & aliis omnibus iam citauit. 4 Oblasphemiam horrendam.

Præcise, & generaliter negauit, Patribus³ sub Lege datum fuisse Spiritum sanctum: quum tota Scriptura clamet non alio nunc Spiritu fideles donari, quàm quo præditi olim fuerunt Patres: ac nota sit Dauidis deprecatio, Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Quum denique nulla potuerit nisi ex Spiritu sancto esse fides, vel pietas, vno verbulo secure se absoluit.

1 Mentiris. 2 Vide paginã 192. Aliter ibi in Prophetis, aliter in vulgo accipitur Spiritus. Iudæorum nomine dixi inrelligendum vulgum ipsum: in Prophetis aliam fuisse rationem: ita pag. 557 & 650.

Nos quoque fatemur sub figuris ostēsa fuisse Patribus quæ palàm nobis in Christo fuerunt exhibitæ. Sed hinc sacrilega sua commenta perperam infert Seruetus, ¹adoratos fuisse Angelos à Sanctis, vt deos. Nam de pura vnus Dei adoratione non minus rectè edoctus erat Abraham, quàm quiuis nostrum. Nimis ergo indigna est contumelia, ²Angelos fuisse ipsorum deos, & in Lege Deum nunquam

fuisse verè adoratum. Quasi nemo tūc ex Sanctis intellexerit quid hoc sibi vellet, Deum tuum adorabis. Si Abraham nō propriè Christo, sed Angelo ipsum adumbrāti credidit, vbi illa hypostasis, & visio quā magnificè prius extulit Seruetus? En quā bene sibi consentiat.

1 In Angelo Deus adorabatur. 2 Angelus ipse adorabatur, Iosue 5, & Iudicū 6. Dii item vocantur, Gene. 20 & 35. 3 Collocatione ad nos facta, erat ibi umbra, quū nondum p̄fecta erat lux veritatis vt nunc. 4 Sub velamine delitescerat, vt Adæ peccatum. Sexcentis locis ita explicui.

Inspiciatur locus, vbi dicit, nō modò Spiritus iustorum, sed omnium hominum, & omnium rerum lucidas formas fuisse ab æterno in Deo. Deinde subiicit, In Deo quoque realiter ab initio erant Angeli. Iam nos mendacii accusat dum ad verbum falsa eius deliria referimus. Putat impietatem suam tectā fore, si nunc dicat, nihil creatum realiter fuisse, nisi ab instanti suæ creationis. Atqui illic disputat quomodo semper in Deo fuerint res creatæ. Aduerbiū autem realiter illic expressum est.

1 Angeli erant realiter postquam creati sunt, nos exemplariter ab æterno. 2 Nisi esses tu sycophanta, nulla hic esset ambiguitas. 3 De Angelis ab initio creatis: secus de nobis, vt tu impudenti mendacio mihi imponis.

De eo nihil est controuersæ, an sit Deus in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam, & an omnia sustentet. Sed hinc non sequitur in omnibus creaturis substantialem esse Deitatem. Multo minus quod ipse coram Iudicibus confessus est, pavementum quod pedibus calcamus, Deitatis esse particeps: & in diabolis omnia deorum esse plena.

1 Idem est. 2 Ex Irenæo, & aliis id iam audiui. Substantialem.

ria est à qua sustentamur. 3 Pedem mouens, dicebas te in Deo non moueri. Ergo in Satana mouebaris : nos in Deo in quo uimur, mouemur & sumus. 4 Etiam si sis tu cacodæmon, adhuc tamen in Deo sustineris.

Mira hominis ferocia, quòd cum Simone mago delirare exprobrat quicumque nolūt esse cū eo Manichæi. Scripsit animam esse ex Dei substātia. Nos enim errorē annotauimus. Tollatur, inquit, nomen substātiæ, & omnia vera erunt. Cur nō ipse sustulit? Imò cur data opera loquutionem affectauit, quam sciebat esse piis omnibus exosam? Nēpe animas ex Dei traduce prodiisse. Palàm se Manichæū gloria- tur, & se reprehendi non sustinet.

1 Mencieris. 2 Ego creatam animam apertè doceo, pag. 178, 225, 260, & aliis locis. Similitudinē Angelos & animas habere dixi, cum substātia Spiritus de qua emanarunt. 3 Tibi mago est Deitas exosa.

Quum protulerit horribilē blasphemiam, ludibundus eam eludit. Conuenit inter omnes multa in vnū coire. Sed nimis absurda est cōsequentiā, animā effici Deum, ut res creatæ & increatæ in vnā animæ substātiā coeant, ut anima coniunctū habeat sibi elementarem spiritū, sicuti Verbo vnita est Christi caro. Quibus deliriis palàm est omnia Redemptionis mysteria prophanari.

1 Nos sumus facti dii, annon ob animæ donat? 2 Vnde sequitur die pessime.

Atqui hominē mansueti spiritus, ac docilē nihil minus decuit, quā furiosus ille debacchādi impetus, quū dicit pædobaptismū detestandā esse abominationē, Spiritus sancti extinctionē, Ecclesiæ Dei desolationē, totius professionis Christianæ confusionē, innouationis per Christū factæ abolitionē, ac totius

regni eius cōculcationē. Nec vno tantū in loco effutiuit hæc probra: sed quibuscūq; potest maledictis incessit, ac flagellat sacrā pædobaptisimi administratio- nem, cuius Deum esse authorem solidis rationibus probauimus. Adolescentes verò donec annum vice- simum superent, à peccato mortali absolueret quàm diabolicæ superbix fuit:

¹ Talem te erga me esse decebat, etiã si essem ego à malo spi- ritu illusus, vt tibi Apostolus præcipit, 2. Tim. 2. ² Iam confessus sum me id scripsisse: rationes quibus oppositum doceas nõ vidi.

Attendant lectores ad perfidiam, cuius falsa in- famia nos grauat. Eius verba nos ¹ bona fide recita- uimus, ne syllabam quidem, quæ ad leuandū eius cri- men faceret, omittentes. Nunc causatur se ibi dixisse animam velut emori. Hoc quidem verum est: sed eius impietatem magis exaggerat. Quum enim illa similitudinis nota extenuari videret mortem ani- mæ, subiecit, ² Insigniore alia ratione per peccatum anima reddita est mortalis, sicut & caro, &c. Librum ³ certè excudere nõ debuit, nisi in tam manifestis ca- lumniis deprehensus teneri vellet. Alibi quidem nõ negat animas à morte esse superstites: sed naturali priuatione imbecilles factas, vt quasi leues vmbre à Geniis agantur, ex seipsis vix quicquam valentes, pag. 229. Cui & alterum hoc addatur ex pag. 233, Ani- mæ ipsius elementa diximus corruptibilia, & ob id eam in ambientem diffuari, substantia sua quasi nu- datam: ac deinde cacodæmoni quodammodo subditã ob Adæ peccatum in inferna trahi, quasi nunquam amplius corpori restituendam. Quid certò statui vult de suis dictis, quibus nunc in acrem diffantur

animæ, nunc substantia sua quasi nudatur, nunc dicuntur quasi mori, nunc insigniori ratione in mortem cum carne traduntur.

1 In priore accusatione aliter mentitus es. 2 Spiritualis mors, seu peccati mors dicitur insignior. Quid hoc ad Caluini rabiem
3 Utinam tota magia tua esset adhuc in ventre matris tuæ.

Quia ex immenso errorum labyrintho, si singulos essemus persecuti, vix vnquam emergere licuisset: satius fore duximus, specimen tantum edere. In ipsis autem responsionibus danda est breuitati nostræ venia, propter temporis angustias. Fuit enim bi di tantum lucubratio. Quamquam excusatione hoc non indiget, quum abundè sufficiat eiusmodi portenta ante oculos posuisse. Monendi tamen sunt lectores, hunc infaustum hominem nullum doctrinæ caput intactum à suis corruptelis reliquisse. In libero arbitrio 2 Pelagianus est. Perfectionem iustitiæ statuit, vt 3 Cathari, Nouatus, & similes. Legem Dei sic 4 abolet, vt cuique suus afflatus sit viuendi regula. Fidem à promissionibus discerpit. Gratuitam fidei 5 iustificationem labefactat. Patres qui sub Lege mortui sunt, omni gratia spirituali 6 priuat, quasi instar porcorum saginati in terra fuerint. Sua phantastica regeneratione simplices in diaboli laqueos præcipitat, planèque hac in parte Libertinus est. Latius etiam impietatis suæ venenū sparsit. Nam ante annos duodecim excusa sunt Biblia Lugduni, quorum margines multis perniciosis commētis inquinavit. Norunt fideles nusquam melius in Veteri testamento virtutem mortis Christi testatā esse, quàm Iesaiæ 53. Quæ de reconciliatione nobis parta, de sce-

lerum expiatione, de maledictione sublata asserit
 Propheta, ad Cyrum hic corruptor detorquet, quod
 in eius morte Iudæi iustas scelerum suorum pœnas
 dederint. Quisquis ergo verè, & prudenter reputa-
 bit, hunc illi scopum fuisse agnoscet, vt luce sanæ do-
 ctrinæ extincta, totam religionem euerteret.

1 Vtinam mihi liberum esset errorum tuorum facere cata-
 logum. 2 Quicumque non est Simon magus, est Caluino Pe-
 lagianus. Omnes igitur quotquot fuerunt in Christianismo,
 sunt à Caluino damnati: etiã Apostoli, etiam Apostolorum di-
 scipuli, etiam veteris Ecclesiæ doctores, ac reliqui omnes. Nemo
 enim vnquam liberum arbitrium penitus sustulit nisi Simon
 iste magus. 3 Mentiris. 4 Mentiris. 5 Mentiris 6 Men-
 tiris nebulo pessime.

Postquam sua conuitia ad satietatem vsque euo-
 mui Seruetus, clarissimus Senatus noster quo-
 certius ferret iudicium, & minus obnoxium calum-
 niis, ad quatuor Helueticas Ecclesias misit: Tiguri-
 nam, Bernensem, Basiliensem, & Schafusianam, dé-
 que tota causa, earum consuluit Pastores. Ne conqueri
 posset Seruetus se multiplici concertatione à nobis
 obrui, vltimas eius calūnias relinquere intactas ma-
 luimus, quàm nobis sumere quod iure nostro lice-
 bat. Quinetiam agnoscent lectores, ita nos breuita-
 ti studuisse, vt non tantum ab omni furo procul ab-
 fuerimus, sed parcius quàm res ferebat, nos continu-
 erimus intra iustæ expositionis metas. Nèpe quo sim-
 plex & perspicua veritas in conspectum Iudicium ve-
 niret, breuiter tantum delibauimus summa capita:
 vt facile appareat non vsque esse progressos, quo of-
 ficii necessitas cogebat. Venerandi autem fratres no-
 stri, quos fuisse cōsultos diximus, quum pro singu-

lari sua pietate, & eximio in Ecclesiã Christi studio, strenuã legendis omnibus operam nauassent (quod ferebat eorum fides) cordatè responderunt, totum librum detestabile esse monstrum ex innumeris erroribus cõflatum. Denique vno omnes consensu, & quasi vno ore pronuntiarunt, non minus sincerè quàm iustè reprehensos à nobis fuisse errores, quorum causa clamabat Seruetus sibi plusquam atrocè fieri iniuriam. Itaque superuacuum fore putavi, singula respõsa ordine recensere. Tantũ vt sciretur nihil amplificãdi causa à me hic fuisset dictũ, Tigurinæ Ecclesiæ epistolã tanquã specimẽ proponere libuit, quæ ad eò nihil ab aliis diuersum cõtinet, vt inspecta liquidã omniũ fidem factura sit. Nec vereor vt reliqui in malam partem accipiant, suas esse suppressas: quasi par honor non fuerit illis habitus. Nihil enim minus illis propositum fuit quàm se mundo venditare: & hoc sancti consensus testimonium longè pluris ipsis fore scio, quàm siquid singuli priuatũ & singulare haberent. Magis à fratribus nostris Tigurinis petenda erit venia, quòd passim legẽda profero, quæ paucis scripserant. Sed quia sic postulat publica Ecclesiæ utilitas, quæ apud illos præponderat, meæ fiducia, vt spero, facile ignoscent.

CLARISSIMIS SYNDICIS,
& amplissimo Senatui Geneuensis Reipubli-
cæ, Dominis nostris colendissimis S. P.

ACCÉPIMVS per hunc tabellionem literas am-
plitudinis vestræ vnâ cum libro Serueti, & articulis
ex ipso consignatis, cum collatione scripta per ve-
stros Cócionatores fratres nostros venerabiles & cha-
ros, & Michaelém Seruetû. Ac quoniâ illa omnia à
nobis inspicì, diligenter expendi, & nostrum de his
iudiciùm adiicere pietas vestra postulauit, amplitu-
dini vestræ morem gerentes, quid de toto hoc nego-
tio vnitatis & Trinitatis Dei, deniq; de Filii Dei my-
sterio sentiamus & doceamus, ac quid de controuer-
sia, & scriptis Ministrorû Ecclesiæ vestræ, & Serueti
iudicemus, quanta possumus breuitate & perspicui-
tate, amplitudini vestræ, Deo iuuâte, explicabimus.
Mysterium adorandû vnitatis & Trinitatis Dei be-
nedicti in secula, nihil dubitamus ab exordio mun-
di, ab omnibus Sanctis & creditum esse firmiter, &
posteris credendum fideliter traditum, sed & in Scri-
pturas manifestè relatum, à Spiritu sancto inspira-
tis veracibus Prophetis. Hoc ergo Theologiæ vetæ
principium & caput ita est comprobatum Dei ora-
culis, ita confirmatum euidentibus signis, vnanimi-
que cõsensione receptû à Catholica & Orthodoxa,
tam Veteris quàm Noui testamêti Ecclesia, vt ipsû
vel in quæstionem vocare, nefas semper fuetit iudi-
catum. Fatemur itaque cum sancta & vniuersali Ec-
clesia Dei, vnâ esse Dei essentiam, tres personas di-
stinctas, non confusas. Pater enim de cælis testificas

de Filio suo, Hic est Filius meus dilectus (inquit) in quo placatus sum. Filius is est cui Pater tulit testimonium: Spiritus sanctus verò in specie apparuit colubæ, tres quidè distinctæ in vna essentia diuinæ personæ. Emerferunt quidem ante concilium Nicenū Praxeas, Noethus, & Sabellius, veteribus nuncupati Patripassiani, qui distinctionem personarū propter vnitatem Dei conseruādā confundebant. Sed doctè & irrefragabiliter à vigilibus Ecclesiæ præsidibus sunt confutati, Scripturisque propugnatum, & in Ecclesia conseruatum adorandum trinæ vnitatis Dei mysterium. Vnde certum est in concilio Niceno Ecclesiæ præsides nō aliud nobis Symbolo cōdito tradidisse, quàm quod à temporibus Apostolorum, imò & Prophetarum catholica, & orthodoxa retinuerat Ecclesia. Quòd ergo Seruetus Hispanus Trinitatē coætērnā Dei triceps monstrū, ac Cerberum quendam tripartitum, denique deos imaginarios, illusiones ac tres Spiritus dæmoniorum appellat, æternā Dei maiestatem nefandè & horribiliter blasphemat. Quòd Athanasium, Augustinū, & alios Dei seruos eximios, illustriāque Ecclesiæ lumina, Trinitarios atque adēo atheos nuncupat, (ita enim omnes Trinitatem agnoscentes appellat) non illos tantū, sed totum chorum Sanctorum, adēoque totā Christi Ecclesiam nefandis, & non ferendis cōuitiis indignissimè proscindit. Abominādum verò illud esse videtur in homine infœlici, quòd Iudæorū quoque blasphemias in Christianā religionē effusas excusat, & fœda hæc Mahumetis verba, tres in Trinitate personas, vel vt ipse ait, tres deos Patribus

fuisse ignotos, & esse filios Beelzebub approbat & ex tollit. Quid verò potuisset ab hoc homine magis impiū in Deū, & indignius in intemeratā fidem Christianam expui? Quæ obsecro aures Christianæ ista patienter audiant: De Filio Dei concorditer credidit, & docuit Ecclesia Dei, ab initio subsistere illum ab æterno in propria hypostasi. hoc enim docta fuerat ex Verbo Dei, Domino ipso aperuissimè in Euāgelio dicente, Antequā Abraham esset, ego sum: utique substantia non carnis quidem, sed Diuinitatis. Iuxta quam Apostolus illum dicit esse expressam imaginem substantiæ Paternæ: vbi simul illud ex Veteri scriptura citat testimonium, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic Filius qui est ab æterno Dei Filius, Deus verus, in tempore factus est hominis filius, homo verus: natus non ex substantia Dei Patris, sed ex substantia Mariæ virginis matris, quam Deus spiritu suo foecundam reddidit, vnde Filius ille, & semen benedictum mulieris, & germen Davidis, & Filius hominis appellatur. Manet autem in vna indiuisa persona, retinens tamen naturas duas impermixtas, aut in cōfusas, diuinā & humanam. Id quod ad cōspicuis & euidentibus Scripturæ testimoniis comprobatum iam olim, & nunc esse constat, vt qui addubitet, cum ratione insaniat. Nos ideo simpliciter & concorditer, ita vt iam exposuimus, firmiter credimus, & in Ecclesia fidei nostræ cōcredita prædicamus. Rursus ergo blasphemus in Dei Filium reprehenditur Seruetus, qui illā ab æterno Filii hypostasin, existentē & Patri coessentialē & coæqualē, diabolicā ideā, & fabulosam quandā Chimæram conuiciari

non veretur. Insuper asserere audeat, corporalis Filii Patre alium non esse vllum quam ipsum Deum Patrem, ex cuius substantia caro Filii nata sit. Longe aliter docuit Doctor Gethium Paulus, qui dixit Filium Dei genitum fuisse ex femine David secundum carnem, & declaratum Filium Dei in potentia & Spiritu sanctificationis. Caeterum cur singula istius blasphemi hominis recolligere pergeremus? Satis diligenter & fideliter enormes aliquot istius errores, & apertas haereses collegerunt Ecclesiae vestrae Pastores, & Doctores, eo scripto cui titulum praefixerunt, Sententiae, vel propositiones excerptae ex libris Michaelis Serueti. Eas nec per calumniam excerptas inuenimus, aut consignatas, nec illas vlla ratione recipimus, aut approbamus, sed execramur potius. Nam Seruetus responsione sua mox subiecta, rem inuoluit, non explicauit: deprauatis interim multis veterum de vnitae & Trinitate Dei, deque Filii Dei mysterio sententiis. Id quod Ministri Ecclesiae vestrae satis perspicue opposita responsione euicerunt. Replica vel scholia Serueti, praeter extremam impudentiam, & conuicia diraparam aut nihil habent. Toties enim suum illud Mentiris Caluino impingit, toties magum, & Simonem magum criminatur, ut meminisse pigeat ac pudeat: praesertim quum res ipsa clamet, & scripta Serueti diligenter expensa testentur, nihil confluxisse Caluinum: Seruetum potius ea quae dixit, rursus negare, ac fuce aliquo tingere. Caluini pastorem vestri, & fratris nostri fidem & diligentiam, denique egregia in exules ac pios merita, illustriora esse speramus, quam quae istius criminationibus indignissimis, vel apud

amplitudinem vestram, vel apud alios viros bonos obscurari possit. Neque hoc dissimulat amplitudo vestra, quæ (quod non sine animi lætitia legimus) disertè scriptis literis significat iudicium à nobis non requirere, quòd Ecclesiæ vestræ Ministris diffidat, sed potius vt nostrum quoque de iis nō nesciat iudicium. Porrò quomodo amplitudo vestra coerceat hunc hominem, qui olim ab Ecclesia per Scripturas, cōuictas & damnatas hæreses renouat, ac prima fidei nostræ firma capita oppugnat, oppugnandòque Deo & Sanctis eius conuertiatur, vestræ prudentiæ æstimandum relinquimus. Si non fallit nos similitudo nominis, mouit hic Seruetus hoc ingens malum ante annos viginti, conante tū beatæ memoriæ Domino Iohanne OEcolampadio ipsum reducere in viam. Actunc quoque doctrina Serueti ab iis qui primi hisce regionibus Euangelium Christi prædicarunt, condemnata fuit. Ille verò sui sensus tenax, nihilominus anno 1531, curauit edi in Germania septem libros de Trinitatis erroribus, & aliquot dialogos: quibus dubium non est quamplures parum exercitatos in Scripturis, & infirmiores in fide, præcipites actos in graue cum animarum tum corporū discrimen. Quo tamen adeò non fuit satiat, vt modò recufis pestilentissimis erroribus, & blasphemis non feren dis, semetipsum in impietate & blasphemia superare, & corruptissimam doctrinam sub specie restitutionis Christianismi Ecclesiæ obtrudere pergat. Multa ergo fide ac diligentia contra hunc opus esse iudicamus: præsertim quum Ecclesiæ nostræ a-

pud exteros malè audiât quasi hæreticæ sint, & hæ-
 reticis faueant. Obtulit verò in præsentî, sancta
 Dei prouidentia occasionem repurgandi vos si-
 mul ac nos à praua mali huius suspitione: si vide-
 licet vigilantes fueritis, diligentèrque caueritis ne
 veneni huius cõtagio per hũc serpat latius. Id quod
 facturos vos nihil dubitamus.

Dominus Iesus Christus cõferat pietati vestræ sa-
 pientiam & fortitudinẽ, viã, rationem & modũ iu-
 stum faciendi voluntatem eius ad gloriam nomi-
 nis ipsius, & ad fidei sinceræ, Ecclesiæque conserua-
 tionẽ. Simul offerimus amplitudini vestræ nostra
 obsequia, commendamúsque eidẽ nos omnes. Cæ-
 terũ per tres dies integros tabellionem hunc vestrũ
 detinuim⁹, quòd nõ potuerimus nos citius explica-
 re. Data Tiguri, xxi Octob. Anno D. M. D. LIII.

Vestræ amplitudini dediti

Pastores & Lectores, Mini-
 stri Ecclesiæ Tigurinæ.

Et si autem illa ratio quam in causæ actione te-
 nuim⁹, nũc quoque mihi sufficere videtur, vt mediocrẽ
 duntaxat Serueticæ doctrinæ gustum habeãt lecto-
 res: quia tamẽ subobscura fortè esset cõcisa illa, qua
 vsi sumus, breuitas, eius summæ quã proposuimus,
 vberior iam & plenior texenda est explicatio. Nam
 quum ad homines peritos & exercitados mittenda e-
 rat nostra scriptio, ideo restricti fuimus, ne prolixa,
 & anxia tractatio tum illis tædio esset, tum aliquam
 daret suspitionem diffidentia. Absurdum verò erat

pluribus verbis obtundere eorum aures, quibus res
 perinde ac nobis conspicua erat. Lectorum quibus-
 cum nūc ago, diuersa ratio est, quorum plerisque ne
 auditum quidem vnquam fuit Seruetti nomen: ma-
 ior pars non ita familiariter versata est in Scriptu-
 ris, vt per se, & absque monitore quale sit doctrinæ
 genus ritè iudicet: quidam metu tardiores erunt: alii
 fortè falsis rumoribus occupati, opus habebūt acio-
 ribus stimulis: alii denique maligno spiritu imbuti,
 nunquam, nisi cogantur, veritati cedent. Et tamen
 hæc quoque explicatio sic erit temperata, vt ne mō-
 rosus quidē lectoribus afferat fastidiū. In primis ve-
 rò à me dabitur opera, vt simplex rerum cognitio
 absque vllō verborū ornatu, se oculis offerat. Idque
 tum pro meo ingenio, & more faciam, tum verò ne
 in illud probrum incurram quod nobis in persona
 Philippi Melancthonis obiicit Seruetus, nos solo di-
 ctionis lenocinio saturari, & affectata rhetorica fal-
 sitatem illecebris ornare. Scilicet fucū sermonis af-
 fectat Melancthon, qui tam procul abest ab hoc vi-
 tio, vt aduētitiū omnem ornatum non minus se-
 dulò fugiat, quàm anxie & putidè illum accersit
 Seruetus. Nemini enim obscurū est, nō nisi per eum
 stare quominus splendidior illi eloquentia surgat.
 Nitida illi quidem Latini sermonis puritas vbi-
 que constat. Vt aptè, dilucidè, & propriè loquatur,
 mediocre studium adhibet. Facundiam tamen quæ
 illi spontè flueret, data opera sic restringit, vt multi
 splendoris cupidores ieiunū & exanguem esse que-
 rantur. Et hæc Melancthoni notam aspergit Serue-
 tus, cuius lutulenta verboritas plus quàm ventosis

ampullis turget. Natura difertus est Melacthon: Seruetto quanta eloquentiæ ambitio fuerit, hinc apparet, quòd sollicitè cauet nequam verborum elegantiam omittat, suas copias sine delectu & modo ostentat, flatúsque suos vbique proiicit. De me nihil dicere attinet: nisi quòd genuina orationis meæ simplicitas nullo se laborioso artificio politã esse clamat. Adde quòd nimis absurdum est, inuidiam ex dicendi gratia nobis ab eo conflari, qui passim linguarum omnium insciitã nò mihi solùm, sed ipsi quoque Philippo exprobrat, vt nos ad discenda grammatices principia remittere nò dubitet. Quod apud Seruetum sequitur, magis in sanctos Dei Prophetas quàm in nos contumeliosum est. Spiritũ sanctum negat vnquam per talia organa locutum esse. Quasi non multo comptior sit sua lingua Dauidis, & illustrior Iesaiæ dictio, quàm multorũ scriptorum qui apud Græcos & Latinos habiti sunt facundi: sed nullo habito delectu, hoc vnum spectauit nugator, vt solus cum suo profluuio liberè tonaret.

Quum scopum sibi totum fuisse præfatus est, vt Filium Dei ostenderet esse Christum, qui in carne exhibitus fuit, minimè dubium est quin tenebras offundere voluerit Iudicibus, quos putabat in hac disceptatione parum esse exercitatos. Ergo ne hoc integumento tam crassa monstra obrueret, quæ à nobis in medium producta erãt: eius vafritiæ cum pari impudentia coniunctam refellere mihi & collegis necesse fuit. Sed quia me solum nominatim aggredditur, in me libenter quicquid actum est, suscipiam. Me in simulat mēdaci, quia eum falsò & per

cauillū profiteri dixi, illum sibi fuisse scopū, facilis
 defensio est: si qua tamen in re tam manifesta, requi-
 ritur. Nunquam enim negaui vnum hoc fuisse ex
 falsis eius peruersisque dogmatibus: sed flexuosum
 serpentem è suis latebris extrahere cupiens, admo-
 nuī quod verum erat, minimè in eo verti totū quæ-
 stionis statum. Omitto immensam errorum cōge-
 riem, cuius foetores paulo pōst mouendi erūt. Nulla
 enim doctrinæ pars est, quam non vāsano quodam
 pruritu, vel magis œstro percitus labefactare cona-
 tus sit. Verū hui⁹ quæstionis mera & genuina de-
 finitio est quā posuimus, Sītne Christus Filius Dei,
 quia Sermo est ante secula ex Patre genitus, qui car-
 nem nostram induit. Simplex de hac re semper fuit
 Ecclesiæ doctrina quam tenemus, Christū Deum,
 & hominē verè esse Dei Filiū: quia æternus sit Dei
 Sermo in carne manifestatus: & quia vnione hypo-
 statica Filius Dei humanam naturā suscepit. Por-
 rò, vnio hypostatica veterib⁹ dicta est, quæ personā
 vnā cōstituit ex duabus naturis. Atque hæc locu-
 tio ad refellendū Nestorii delirium inuēta fuit, qui
 fingebat Filiū Dei ita habitasse in carne, vt non idē
 ille esset fili⁹ hominis. Atqui, sicuti docet Scriptura,
 piorū omnium consensu receptū fuit, vnū esse, non
 duplicem Christū, qui Deus est in carne manifesta-
 tus. Interea duplicis naturæ retēta fuit distinctio, vt
 vnio à confusione differret. Nam disertè Scriptura
 nunc quæ hominis propria sunt Christo tribuens,
 nunc illi rursus assignans quæ seorsum in Deum
 competunt, duas in eo naturas distinguit. Caterū,
 quia interdum vnionis respectu, quod Dei propriū

est, ad hominis naturam transfertur, orthodoxi Patres hoc loquendi genus vocarunt *ἰδιωματῶν κοινωνία*: quia hoc facillè recipit personæ vnitas, vt quæ distincta sunt in duabus naturis, mutuò inter se communicentur. Dicit Paulus sanguine Dei acquisitâ fuisse Ecclesiâ. Nemo sanus dicet Deo sanguinè fuisse què fûderet. Cæterùm quia humano suo sanguine Christus, qui Deus est, Ecclesiâ redemit, non ineptè, nec absque ratione vocatur ille Dei sanguis. Nec aliû sensum admittit quod dicebat Christus adhuc in terris agēs, Nemo ascēdit in cælū nisi qui descēdit è cælo Fili⁹ hominis, qui in cælo est. Nō erat certè immēsa Christi humanitas vt cælū repleret: sed quia cælestis Deus idem erat Filius hominis, nō absurdè dicitur, In cælo fuisse Fili⁹ hominis ob personæ vnitatē. Videm⁹ ergo inter Christi naturas vltro citròque communicari quæ tantū earum alteri conueniunt: quia vtranque in se vnus idēmque Christus complectitur. Seruetus autem cælum terræ miscens, quid sibi velit hypostatica vnio ignorat. Naturas discerni non patitur. Ab illa verò quam diximus, communicatione sic abhorret, vt exitiale appellet Satanæ fascino. Sed videamus quibus mixturis conflatū Dei Filium nobis obrudat. Ac primò quidē de æterna Verbi genitura miras præstigias inuoluit. In Apologia ad Melancthonem, pag. 728, defendit eos qui ante creationem negarunt fuisse Sermonem & Spiritum: quia his verbis notetur externa locutio, & spiratio tam apud Hebræos, quàm Græcos, & Latinos. Atqui nihil notius est, quàm כּוּנֵן, Hebræis passim sumi pro cogitatione intus concepta. Hoc ne tyrones quidē ipsos latet, qui vltra primâ linguæ

Hebraica rudimēta progressi sunt. Iohannes verò
 τὸν λόγον apud Deū in principio fuisse asserēs, lōge a-
 liud designat quàm locutionē externā. Nō enim di-
 cit, quū Deus consiliū suū de creando mundo pro-
 tulit, tunc Sermonem cœpisse, sed æternum fuisse
 in Deo, antequā vim suam extrā diffunderet. Ter-
 tulliani quoque verba falsò ad suum errorem infle-
 ãit. Dicit Tertullianus in mundi creatione fuisse
 Verbi natiuitatem: nempe quia Sermo, qui prius
 occultus in Deo residebat, tunc se palàm exeruit,
 sicuti foetus ex vtero in lucem prodit quum nasci-
 tur. Sed non obstat talis natiuitas, quin ante creatū
 mundum ab vltima æternitate Sermo ex Deo ge-
 nitus fuerit, quemadmodū idem scriptor plus cen-
 ties aperte pronuntiat. Pergit Seruetus in suo fig-
 mento. Nam pagina 704, sic loquitur, Ex interna
 mente Dei extitit Sermo. existentiā dico, sicut dixit
 Deus, Existat lux: & extitit lux. Ea enim similitudi-
 ne extitit Verbi lux, Sermo visibilis. Videmus vt
 Verbū creatū cōminiscatur, quod ad similitudinē
 lucis creatæ extare cœpit. Quod alibi crassius affir-
 mat, pag. 679, Creatū Verbum dicitur non solū in
 persona Christi, sed in ipso Deo erat creatū, condi-
 tū, & fabricatum. Hæc æterna est genitura Serueto,
 creatio, & fabrica in Deo, vt Deū ipsum inter crea-
 turas censerī necesse sit. Hoc etiam notatu dignum,
 quòd cū vbique hac nota Sermonē à Patre discer-
 nat, quia visibilis est, secū dissidēs alibi inuisibilē na-
 tura sua fatetur, pa. 731, Deus, inquit, natura sua in-
 uisibilis: Verbū item natura sua nobis inuisibile, tū
 quia excedit capacitātē nostrā, tum quia id ipsum

quod à nobis videtur, nō est ex natura, sed ex specie prolata. Frustra quispiā Serueti nomine excipiet, Specie hanc Verbo fuisse circumdatā. Nam aliis locis passim inculcat in hoc differre Verbi hypostasin à Deo, quia Deus inuisibilis sit, Verbū visibile. Vnde sequitur propriè Verbo competere visibilē naturā, quia alioqui posset etiam Pater extrinsecā speciem sibi formare. Parem vtriusque esse naturā concedit Seruetus. Quid ergo impedit quominus Pater illud aduentitium quod Filio suo dedit, sibi quoque vsurpet? Ergo si non effectu, saltē potentia visibilis erit Pater, nō minus quàm Filius. Nondū tamen liquet quomodo genitum ex Deo Sermonē intelligat Seruetus. In suis responsionibus simulat, aternā se Verbi generationē credere. Id quale sit, videre operæpretiū est. In Apologia ad Melāthronē, pag. 683, sic loquitur, Ab aeterno fuit expressa iā in Deo volūtas generādi hūc Iesum verū Prophetā: ideò dicitur genita volūtas, sicut in te est genita volūtas faciēdi quod facere incipis. Non solū erat in Deo consiliū & volūtas generādi, sed actus ipse generationis in creaturā extensus. Nā Deus ipse est actus aeternus aeternaliter agēs in rem præsentē. Hic palā apparet generationē Serueto nihil aliud fuisse quàm Dei decretū, quo Filiū sibi formare statuit in specie hominis. Ideò verè, & realiter alibi genitū negat, pa. 680, Verbū, inquit, genitum erat personaliter, genita erat imago, genita idea, Deus ab aeterno genitor speciei, vt ait liber Sapientiæ, forma huius hominis erat ab aeterno genita in Deo, sine reali distinctione, generatio erat in Deo, ipsa generationis

cogitatio simul & exhibitio. Generatio erat constitutio generationis, quæ ad generationem tēdebat. Ore fatetur Verbū fuisse Deum, interea vmbra tilē ideam nobis supponit: illam quidē dicit fuisse Dei hypostasim: sed quū definit fuisse generādi Filii cogitationē, nihil solidi relinquit in ipso Verbo: sed eius substantiam in carne locat. Nam & hoc illi significat exhibitio: quia scilicet Deus formā hominis protulit, quæ futuri Christi persona esset. Hoc modo Deū visibilē à mūdi creatione cœpisse fingit. Nec longo circuitu opus est, personaliter genitum fuisse dicit. Atqui secundū ipsum, personæ opponitur res ipsa, & veritas. Vnde sequitur nō fuisse nisi figuratiuē genitū. Atque huius rei dubitationem tollit, non alia ratione Deo Patris titulū cōcedens nisi quia speciē genuit. Hic iā satis detecta est hominis impietas, quòd Verbi geniturā esse somniet externæ formæ creationē, in qua homo Christus figuratiuē apparuit. Turpis etiā impudentia detegitur, quòd ex libro Sapientiæ testimonium detorquet. Inuehitur eius libri scriptor in homines vanos, & cæcos, qui vel Solem, vel Lunam, vel ignem, vel aquam, mūdi opifices esse putarūt: quū vnus Deus formarū genitor illa omnia cōdiderit. Serueto autem species est æternus ille Sermo, quē Iohānes Deū semper fuisse asserit. Libro quinto de Trinitate, pag. 164, totū Verbi & Spiritus arcanū fuisse dicit fulgentē Christi gloriā, quia Deus erat Verbū & Spiritus, Verbum & Spiritū variè dispēsans in corpus & animā. Dicat nūc centies Seruētus se Deū credere æternum Patrē Verbi: interea

patet nihil aliud Verbū illi fuisse quā dispensationē Diuinæ virtutis ad conflandū Christi corpus & Spiritū. Dial. 1. pa. 208, sic loquitur, Naturaliter & volūtarie erat λόγος idealis ratio, & prolatio relucētia Christi apud Deum, Spiritus Christi apud Deū. Omitto nunc quòd Spiritum cum Sermone confundit, cui distinctam hypostasim alibi coactus assignat. Satis fuerit monuisse lectores, λόγος, si Serueto creditur, nihil aliud fuisse quàm speculum, vel ideā quæ futurum hominem repræsentabat. Dialogo 2, pag. 249, postquā tres statuit dispensationis gradus in Christo, quorū primus est Verbū apud Deū, secundus egressio in mundum, tertius regressio ad Patrem: continuò post definit qualiter fuerit Verbum apud Deum, nempe quòd esset relucētia in gloria illa apparens, qua glorificandus erat Christus: sicuti paulo post, Christum fuisse docet primā Dei cogitationem. In summa, non alia secundum Seruetum quærenda est Verbi vel substantia, vel æternitas, nisi quòd Deus ab æterno hominem formare proposuit. Huic prodigioso figmento nihil magis contrarium esse potest, quàm quod dicit Iohannes Sermonem semper fuisse apud Deum. Neque enim illic futuræ rei speciem designat, sed solidam hypostasim, quæ verè, & reipsa in Deo substitute rit. Iam quia illi obieceram, noua illa Verbi fabrica, de qua nugatur, Deum fieri mutabilē: ingeniose respondet non esse mutatum Deum, quum singulas creaturas patefecit: ideo quum Christus, caput omnium, patefactus est, non magis mutatum esse. Rursus quia obiecerā, ob res creatas nihil Deo

in se accidisse noui : hoc artificio se explicat , quòd Deus in ligno sit lignum , in lapide lapis , formam & substantiam lapidis veram in se habens. Nā hæc eius verba sunt Epistola 6, pag. 189. Quàm absurde, imò prodigiosè Deum in lapide lapidem esse dicat, in præsentia tractare superfedeo. Tantum notent lectores, secundū Seruetum Verbo fuisse principium, quo extare cœpit, & in illa specie visibili, quam pingit, non aliã fuisse Dei hypostasim, quàm in lignis, & lapidibus. Dabunt veniam lectores, si absurditates tam impias & sacrilegas vehementius non exagito. Nullus enim esset finis : & eas digito notasse, instar plenæ refutationis erit. Caterùm videmus vt non tantū de Filii nomine disceptet Seruetus, sed contendat Sermonem nõ esse ex Deo genitum, nisi quatenus in Dei mente concepta, formata, & expressa erat sapientia, figuratio Christi. Nam hæc eius verba sunt Epistola 1. pag. 578. Quibus mox subiicit relucetiam fuisse futuri Filii, quæ ad Filii generationem substantialiter tendebat. Atqui inde ego infero, nõdum tunc fuisse substantiam, sed aliquam fuisse præparationem substantiæ. Alibi tanquam sui oblitus, aliã generationem ponit, Epistola 7. pagi. 594. In creaturas sunt reales omnes Dei actiones, in seipso Deus hac ratione ab æterno egit, & genuit quod apud se medians constituit: Verbum princeps constituit, & Spiritum principẽ sine realibus vestris motibus : atq; ita constituens hominẽ Christum genuit. Hic duplex fingitur generatio, quia Deus apud se medians, Sermonẽ voluerit esse principẽ in gignendo Chri-

sto. Deinde, quòd Christum hominem Sermonis virtute genuerit. Et tamen nebulo vbique clamat duos à nobis induci Dei Filios, quia Sermonē, qui ab æterno genitus fuit, docemus hominē genitum fuisse arcana Spiritus virtute, & ideò in humana quoque natura esse Dei Filium. Epistola octaua ad priores suas phantasias relabitur. Nam vt probet Sermonem fuisse relucetiam, quæ Christum figurabat, quosdam Scripturæ locos plusquam insulsè deprauat. Vocatur Filius primo ad Hebræos capite, Paternæ gloriæ splendor, & expressa imago substantiæ eius. Atqui his verbis aperte cõuincitur Serueti error. Nam quum hypostasin Filii à Paterna distinguat: sequitur duas fuisse hypostasas, vnde emanat realis distinctio, cui tãtopere infestus est Seruetus. Sequitur deinde apud Seruetū, quòd Sapiētia Paulo vocetur tertio ad Ephesios cap. præfinitio seculorum, quam fecit Deus in Christo: & 1. cap. arcenum Christi. Atqui nihil clarius est, quàm Paulū respicere ad Euangelii prædicationem. Nam hoc sublime mysterium erat, salutem Dei quæ à seculis gentibus abscondita fuerat, repente illis patefieri: im postor autem iste ad suā ideā detorquet, in qua vult Christum substituisse. Atque vt eludat quod de æterna Dei Sapiētia differit Solomo, mentem eius Pauli verbis exponi dicit 1. Cor. 2, Christū esse Sapiētiā Dei præfinitam ante secula: quum Paulus differtē Sapiētiā illic vocet Euangelii doctrinam quæ nos perfectè in salutem erudit.

Nunc de Christi generatione tractemus. Christū hominē verè Filiū Dei esse asserit, quia substantiali-

ter ex Deo genitus est, ex substántia Dei. Ad id probandũ verba Angeli citat ex i. cap. Luca, Quod ex te nascetur sanctũ, verè erit Filius Dei, lib. i de Trinitate, pag. 9. Atqui impudens corruptor, ommissis Angeli verbis alia supponit. Angelus enim vocandus esse Filium Dei affirmat qui ex Maria nascetur. Verbo autem vocãdi, manifestatio potius intelligi debet, quàm essentiæ principium. Modum quoque explicat Seruetus, quia Verbũ Dei instar nubis virgini obumbravit. Quid hoc est: diuinæ virtuti has partes assignat Angelus, vt virgini obumbret, significans hoc admirabile Dei opificium fore, quòd virgo sine virili congressu Filium Dei cõcipiet. Hoc Seruetus ad Verbum transfert quasi Verbum dicatur factum caro, quia vim generãdæ carnis in virginem infudit. Ille est vnus modus. Cæterum, eodem libro, pag. 16, ita loquitur, Verbum Dei de cælo descendens nũc in terra est caro Christi: caro Christi de cælo est, de substantia Dei, & à Deo exiuit. Nunc Verbum non dicitur ab eo obumbrasse virgini ad generandum hominem, sed quasi mutata natura caro esse: & tamen paulo pòst fortiter contendit alium esse Sermonem, quã Filium, quia Sermo de Filio quasi de re alia testatur, pag. 23. Neq; ferèda est cauillatio, qua elabi conatus est, illic de voce in nube audita se loqui. Nã & simpliciter Sophistas vocat qui Sermonem eũdem faciunt cum Filio: & locum Iohannis adducens, Tres sunt qui dant testimoniũ in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus, & hi tres vnum sunt: peruerse, & impie Sermonem à Filio separat. Eodem perti-

net quod habetur lib. 2. de Trinit. pag. 85, Hic homo Iesus essentialiter est Verbum illud per quod omnia facta sunt, eius gratia prolatum est Verbū, & creatus mundus. Crassam repugnantiam hic omnes vident, quum essentialiter Verbum esse dicitur, in cuius fauorem Verbum prolatum est. Verum proxima pagina prius illud suū deliriū rursus confirmat. Nam illud 1. ad Hebr. cap. citans, Verbo Filii omnia sustineri: Audis, inquit, omnia fieri eius Verbo, ne Verbum cum Filio metaphysicè sumas. Atqui perfidus impostor fraudulentè τὸ πρῶτον in locum τῶν λόγων substituit. Non enim illic de æterno illo Sermone, qui carne indutus est, agit Apostolus: sed ἡμῶν vocat imperiū, vel nutum Christi. Apertè quidem interea negat Seruetus Verbum esse Filiū. Paulo post tamen pag. 90, denuo in cōtrariam doctrinam abripitur, quòd Verbum fuerit olim personalis Filius. Si olim personalis, ergo nunc realis. Atque hic expendāt lectores quàm pulchre secum ipse consentiat. In Apologia ad Melancthonē, pag. 694, verè nunc & realiter genitum esse Christum hominem dicit, verè & realiter à Patre differre. Cur non etiam cōcedit realem fuisse ab æterno Filium? Quia tūc, inquit, solū erat persona futuri Filii. Atqui eodē loco dicit semper illum hominē fuisse in Deo, & hac ratione Patri fuisse coæternum, & consubstantialē, sicuti priore pag. dixerat fuisse apud Patrem ab æterno in propria substantia, & forma hominis. Quid hoc est: A Æternam hominis substantiam Christo tribuit Seruetus, dum cogitur ab æterno Patre discernere, & tamen reale quidquam in illa persona fuisse negat. Quasi verò substantia

& forma spectrum significet, quod re ipsa nihil sit. Adde quod paulo post subiicit illam Verbi substantiam fuisse huius hominis substantiam. Cur autem nunc eadem substantia realiter distincta est magis, quam olim, nisi quia ita Serueto placet: Pag. 692, tertium principium sumit, tam personae similitudine inter Verbum & hominem, quam substantiali unitate rite Verbum illud dici hominem, & hominem hunc dici Verbum. Quam turpiter secum pugnet, mox patebit. Haec in praesentia tenere sufficiat, Si Verbum semper fuit homo substantialiter, & hic homo sine controversia Serueto realis est Filius, non esse causam cur Verbum neget re ipsa fuisse semper Filium. Pergamus in tractanda hominis generatione. Libro de Regeneratione superna, versu septimo ita loquitur, Christus per Sermonem Dei ex Spiritu sancto naturaliter genitus est, & nos per gratiam ipsius verè substantialiter. Quam absurdum sit substantialiter nos ex Deo gigni, nunc dicere supersedeo. Hoc quidem asserit Seruetus, per Sermonem Dei genitum esse Christum. Ne commentum, eius dicto affingere videar, sit ipse suus interpret. lib. enim de Trin. 4. pag. 145, ita scribit, Verbum Dei, quod erat Christi semine, eius in se formalem rationem continebat, ac rerum omnium feminales vires. Si hoc respectu genitus est Christus per Sermonem, sequitur vitulos, & canes, & porcos non minus esse Dei filios: quia semen illud originale, nempe Sermo Dei, bruta animalia cum Christo omnia in se inclusa habebat. Haec admiranda est analogia rerum omnium, quam celebrat pagina sequenti, quod Verbum Dei generationis Christi semine omnia generet. Subtilius postea philosophatur,

pagina 158, quòd in Christo tria sint superiora elementa de substantia Patris: sicut paternum nostrum semen est aqueum, aereo & igneo spiritu plenum, ita nubes oraculi Dei velut aquea, aerea, & ignea fuit ros naturalis genituræ Christi. Videm⁹ ex qua materia Christum suum conflet. Nam primū Dei essentiam componit ex elementis. Deinde hanc mixturam transfert in Christi corpus. Lib. 5. pag. 165, commentum suum prosequitur, nisi quòd prorsus contrarias sententias permiscet. Secundum vnum modum, inquit, est Verbum in carne, secundum aliū est Spiritus in anima: secundū vtrūque semper lux substantialiter. Sicut Deus erat Verbum Spiritus, & lux in nube: ita nūc est Verbum Spiritus, & lux in Christo. Ex his verbis sequitur, Christum nunc esse Verbum, & Spiritum, sicuti Verbum semper fuit Deus. Hoc dictum concilient Serueti discipuli cum altero quod proximè sequitur, & quod iam aliunde citavi, Verbum Dei fuisse rorem genituræ. Nam ita concedant necesse est, Deum rorem fuisse genituræ Verbi. Cæterum alibi dicit, pagina 197, ipsum Dei Verbum cum hominis substantia vnū esse substantialiter in Christo corpus. Si Verbum corpus est substantiale, cur tantum ros genituræ censebitur, & non potius quod genitū est? Verum alibi suam nequitiam detegit. Nam & apertè Dialogo 2, pag. 263, dicit Verbo transformatam fuisse humanam materiam in Deum. Et pag. 266, dicit Verbum, carnem esse factum, quatenus erat hominis idea, seu persona, & præfiguratio. Quod si admittitur, euersum erit principium fidei, Verbum in carne ap

paruisse, quia carnē nostram induit. Ac, si Deo placet, illic profitetur se penitus mysteriū illud exponere de Verbo in carne manifestato. Atqui videmus nihil aliud tradi, quā̄m prodiisse hominē Christum, quem Deus mente conceperat. Fatetur quidē alibi, contineri in Christo diuinam & humanā naturam, pag. 268. Sed mox quod bene dictum videri poterat, peruertit, dicēs, lucē creatam & increatā in Christo vnam esse lucem. Tollitur enim omnis distinctio, non tantū̄m permixtis naturis, sed in vnā redactis. Mox etiā̄ addit, ex tota mundi anima, & anima humana cōsistere in Christo vnam substantialem animā. Tandē pag. sequēti concludit, Substantiam Verbi & carnis vnam esse substantiam, & Deum esse in carne manifestatū, quia caro Christi est Deo *ὁμοιωτος*. Vbi iā̄ reperientur naturæ duæ, si in carne Christi par, & eadē est, quæ in Verbo Deitas? Neque ambagibus locus est: quia Epistola 6, pag. 590, negat incarnatione mutatum esse Verbum, sed carnē quā̄ assumpsit, in Verbū esse transformatam. Item lib. 4. de Trinit. humanam naturam in Christo vnum esse cum diuina, & humanam olim transmutari, eadem semper diuina manēte. Certē qui nō tantū̄m duo in vnū coalescere docet, sed simpliciter affirmat ex duobus quæ vidētur alterū idē esse cū altero, nō iā̄ duas naturas relinquit. Rursus in Apologia, pa. 697, ei⁹ verba sūt, Quodāmodo facta est Verbi in carnē conuersio, & personæ translatio, vt huic personæ carnis nunc tribuantur omnia, sicut virga est in serpentē formaliter conuersa, manente Verbi substantia. Eadē huius corporis Deitas erat antea Ver

bi Deitas. Certè non obscurè blatterans carnem nunc esse, qui olim Sermo fuit, alteram ex duabus naturam necessario destruit. Si Christi humanitas est Verbi in carnem conuersio, necesse est à carne absorberi Verbum, vt vna tantùm natura maneat. Et tamen miror quid sibi cum ista transsubstantiatione velit Seruetus, cui alibi caro Christi vocatur caro Verbi, & Dei existentiam habens æternam, dialogo secundo, pag. 270. Hæc qua potui breuitate præfari visum est, vnde cognosceret lectores, quàm ingenuè contra me insurgat, quia dixeram eum in voce Filii cauillari, dū omnes cōtrouersias ad vnū hoc caput restringit, quòd Christus homo sit Filius Dei.

Nunc sigillatim perstringam quæ refutationis prætextu apposuit, saltem quæ ad causam facient. Bis accusat me mendacii, quia dixeram eum negare Sermonem, qui carnem nostram induit, olim quidquam fuisse, & ex Patre ante secula genitum. Atqui bona fide refero quid sentire se ostendat. Nam aut Verbo sua fuit hypostasis à Patre distincta, aut nihil fuit Verbum. Prius negari à Serueto iam planè ostensum est. Itaque illi iniuriam in secundo non facio. Quòd autem ante secula genitum neget, tum ex superioribus liquere arbitror: tum nihil aliud contēdit lib. 1. de Trinitate, & Epistol. 1. 2 & 3. Et quid aliud sibi volunt eius verba lib. 4. de Trinit. pag. 150: Cogitatio Dei erat Filii generatio, non erat tunc realis filius à Patre distinctus, sed naturalis scientia Dei, vt speculo naturalis est rei propositæ relucencia. Videmus vt genitum Sermonem non concedat, nisi carnis intuitu. Quibus consentit alter locus, pagina 205,

Quòd Deus ratione sua æterna corporalem, & visibi-
 lem Filium sibi decernens, talis speciei substantia se
 ipsum visibilem præbuerit per Sermonem, in quo
 erat Spiritus. Hoc si recipitur, quid erit Verbi gene-
 ratio, nisi destinatio futuri hominis? Sicuti dialogo
 secundo, pag. 259, Spe quadam, aut seminis præpara-
 tione Christum tempore Legis vocatum fuisse Fi-
 lium contédit. Deinde magis se implicat dicens, Si-
 cut generantia omnia prius semen in se continent,
 quàm ad foetū emittant: ita fuit in Deo semen Ver-
 bi, priusquam in Maria generaretur. Hic quoque pa-
 lām asserit non fuisse emissum à Deo semen ad ge-
 nerandū, donec formatus est in vtero Virginis Chri-
 stus. Neque tamen nego quin alibi secum pugnans,
 ad nos propius accedat, sicuti in Apologia, pag. 705,
 Modo (inquit) eodem, quo nunc est Deus Pater ho-
 minis, ab æterno erat Pater Verbi viuientis, sapien-
 tiæ subsistētis, virtutis suæ, & figuræ. Modo eodem
 quo nūc est homo filius, erat ab æterno Verbum Fi-
 lius. Si ingenua esset hæc confessio, inde nobis emer-
 geret realis Verbi generatio ante secula. Nam si co-
 dem modo Verbum semper fuit Filius, sicuti homo
 nunc Filius dicitur, cur non agnosceret Seruetus Deū
 reipsa fuisse æternum Patrem, & nō figuratiuē? At-
 qui Epistola tertia hoc prorsus repudiat. Et in fine
 sextæ Epistolæ sic loquitur, In omni generatione
 quod à patre solo prodit, nō per se dicitur filius, sed
 per matrem. Vnde igitur vos tantam Filii separati
 in Diuina generatione deformitatē somniatis: Quā
 matrem ante secula Verbo fabricabit Seruetus, vt
 illud Filium efficiat: Videmus ergo abreptitii instar

transuersum ferri. Et illo, quem prius citauī, loco modi paritatem, quam statuere uisus fuerat, statim euertit dicens, Genuit ab æterno Pater Filium hunc ineffabili Sapientiæ cogitatione, præparatione, &c. Magis etiamnum ieiunè in Apologia, pa. 685, Deus inquit, Pater est Verbi, Pater Spiritus sancti, Pater Spirituum, luminum, & gratiarum. Multæ sunt in eo paternitates & generationes. Genitas in Deo duas uoluntates cõcedimus, ac etiam creatas, sicut Sapientia creata dicitur non realiter, sed personaliter. Primum si Serueto creditur, inter generare & creare nullum erit discrimẽ. Ita, ut Verbi genitura nobis cõstet, extra Deũ exire necesse erit, vel Deus ipse creatura in seipso fiet. Deinde realis negatur generatio, hoc est, quæ uerè, & reipsa tũc fuerit. Tandẽ innumerum Filiorũ examen Deo affingitur. Neq; enim secus Deũ Verbi Patrem vocari asserit, quàm omniũ suorũ donorũ. Ita peribit mutua inter Patrẽ & Filiũ relatio. Eat nũc Seruetus, & de filio homine magnificè loquatur, quũ incorporeæ donorũ omniũ turbæ nũc eum permisceat. Quare fixũ illud manet, in quo me Seruetus mentiri arguit, Negari ab illo Sermonem Dei ante secula fuisse genitũ. Quia dixeram profcindi ab eo pios omnes, qui æternum Dei Filium confessi sunt, tergiuersatur se quoq; idem fateri, modo intelligatur personalis Filius. Quasi uerò de figura, uel speculo rei futuræ, & non potius de uera generatione pugnetur. Tametsi enim personæ substantiã affingit Seruetus, hac tamen uoce umbratilem, uel figuratiuum Filiũ designat. Et in morte eius apparuit quid sentiret, quando hæc loquendi forma nũquam

ex ore eius exprimi potuit, vt æternum Dei Filium inuocaret. Exprobrat quòd hominem Christum nõ credamus esse Dei Filium: & tamen citatur ex Institutione locus, vbi disertè hoc affirmo. Et quid vnũ locum citare attinet, quũ lucubrationes nostræ omnes clarè id resonent? Tantũ exceptio illa à nobis additur, non humanæ naturæ intuitu Filiũ censerit: hoc verò pertinaciter vrget Seruet^o, quia caro Deus est, ac Deitas, ipsam quoque esse Dei Filiũ. Calumniam, qua nos grauauit de Filio connotatiuo, ita tuetur, quia Filium dicimus hominẽ ob vnitas in vnã personam duas naturas: non autẽ naturaliter Filium esse concedimus. Hic quoque deprehensa tenetur sacrilega impietas: naturaliter hominẽ esse asserit Dei Filium, nempe quia feminis defluxu, non secus ac vitulus ex tauro, Christi caro formata sit: ita nec homo erit, nec Deus Christus, sed Deitas in carnẽ cõuersa. Atque hæc ratio est cur tãtopere ipsum vrat hypostatica vnio, qua duas naturas in vnã personam distinctè, non autem confuse in vnã substantiã coaluisse dicimus. Quanquã Seruetus quid sibi velit hypostatica vnio, nõquam intellexit. Nã in Apologia, pag. 695, efficax se contra nos colligere argumẽtum putat, quum dicit Spiritum sanctum fore hominẽ, quia Christo homini vnitus est: & similiter Patrem, quia Filio vnitus est. Atqui nemo vnquã præter eum somniauit hypostaticè Spiritũ Christo vnitũ esse. Christum nõ idèò solum sibi Filium esse dicit, quia cælestis sit eius caro. Quid ergo meli^o affert, aut probabilis: nempe quia eius exẽplar in archetypo Verbi fuerit. Atqui si eius phantasmata recipimus, hoc

idem nō modò ad brutas pecudes, sed etiam ad metalla, & lapides patebit. En quàm foeliciter causam suam subleuet. Quòd autem ex tribus increatis elementis compositam esse fingat Christi carnē, paulo antè ostendimus. Quòd nullum certamen esse dixi quin Filii nomen quoties in Euangeliis occurrit, in Christum hominē cōpetat, perfidē me agere criminatur. Sed nimis ridicula est eius insultatio. Quis enim negat ex quo hominis naturam assumpsit Sermo Dei, esse hominem filium? Nec verò aliter Euāgelistæ de ipso loqui poterant. Conuenit igitur Filii nomen homini Christo: sed non pro imaginatione Serueti, qui hominis substātiā Verbi Deitatē esse clamat. Citatus à me fuerat Iohānis locus, quòd semper apud Deū fuerit Sermo. Pulchrè se elapsū putat, quū me non intelligere dicit quid propriè sit Sermo: quia scilicet eius commentū de cogitatione creandi Filii non amplector: sed intelligo Sapientiæ hypostasin sic in Deo residētē, vt vna sit Dei essentia, distinctæ personæ. Ac personam quidem Seruetus verbo cōcedit, sed lusoriè, quemadmodum dixi. Excipit se propriissimè accipere, me verò abuti: sed quænam illa est proprietas? Nēpe quòd persona formam, vel speciem denotet. Ipse verò Christi hominis vultum semper in Deo apparuisse dicit. Nobis verò, dum Patrē reputamus rerum omnium fontē, ac principiū, gloriæ eius fulgor satis illustris est persona. In Sapiencia etiā, aut Verbo affulget lux admirabilis, quæ Patrem repræsentat. Nec essentialis Dei virtus in Spiritu sancto informis est, sed personam quoque suā habet. Ita fit, vt in Dei essentia piis men-

tibus affulgeant tres personæ. Ac verū esse illud Gregorii Nazianzeni comprobatur fidei experientia, non posse concipi Deum vnum, quin tres fulgores continuo nos circudent. Verū Serueto nulla est Dei forma, nisi quæ oculis carnis apparet. Quod se substantialem in Verbo relucetiam posuisse excusat, nugatorium est. Nam alibi irradiatio tanquā in speculo vocatur. Deus, inquit pag. 729, æternè cogitās, externèque proferens, velut œconomus Sapiētiam acquisiuit, & prudenter adinuenit. Quænam autē illa fuit cogitatio: nēpe, vt Epistola sexta definit, pag. 591. quod naturalis erat in Deo scientia, vt in speculo relucetia substantialiter, & primariò Christum cōtinens, quæ in Christo dicitur *et hoc*. Et paulo post concludit ideam, vel sermonem non posse dici, quin alterius rei sit relucetia: ideoque gloriam Christi hominis fuisse, quæ ab initio in Deo fulgebat. Sic etiā lib. de Trinitate 3, pag. 96, gloriam, quam Christus Iohannis 17 testatur se habuisse semper apud Patrē, Deitati eripit, ac in hominem transfert. Cogita, inquit, quod non Deitas, sed homo ipse petit glorificari. Ergo homo ipse erat gloriosus. Vbi nunc extabit illa substantia, vel vnde nobis prodibit? Contendit enim Seruetus imaginari in Deo laruam, quicūque mentis oculos in Verbum dirigunt: quia gloria, cuius meminit Christus, non nisi visibilis & corpori Verbi fuerit. Sed quibus, obsecro, illam Pater visendam exhibuit ante mundum cōditum? imò qualis tunc potuit esse relucetia, Verbo nōdum fabricato, cuius origo ad mundi creationem à Serueto restringitur? Nam pag. 704, existentiam Verbi ex eo

deducit, quòd dixit Deus, Fiat lux. Deinde, si quis requirat quomodo extiterit, ad spectrum illud ex increatis elementis compositum, Serueto duce, venire oportet. Nam id continet eius responsio, quòd Sapientia sit persona Christi, quòd Filius non sit Paternæ hypostaseos imago, nisi quatenus homo est. Paulo pòst verò aut versipellis ei⁹ malitia, aut phrenetica illusio se prodit. Dixerã fieri non posse quin Filiũ aternũ agnoscant, quibus Deus aternus censeatur Pater: subscribit ipse. Verũm si id facit ex animo, cur inter vltimos spiritus idem facere abnuie? Quanquam nihil opus est coniecturis, quũ sibi subterfugia omnia præcluserit. Nam Epistola tertia, leuissimam hanc esse rationem dicit ad tale monstrum inducendũ. Paulo pòst secũ ipse dissidens duo axiomata subiungit. Dicebat Deus olim se fore Patrem, & nos fore Filios, tunc in vmbra, nũc in veritate: Deus Pater erat personaliter, sicut in eo persona erat Filii: erat Pater realiter ratione ipsius hominis Christi aternaliter ab eo geniti, ac si tu ab aeterno spirasses ad prolem aliquam, & mulier eam nunc pareret. Hinc dicitur Christus secũdum spiritum esse Filius Dei, quia per spirationem Dei genitus. Primum detrahit impius latrator sanctis Patribus, qui sub Lege vixerũt, filiorum honorẽ: quum vbique in Scriptura Deum præsentem fiducia Patrem inuocẽt. Nam apud Iesaiã non dicunt, Tu olim nouo populo eris Pater: sed iam tunc sibi fuisse Patrem gloriãtur. Et quũ Deus Ephraim primogenitum suũ nominat, vmbra rei futuræ quoad fideles ipsos, minimè obtendit, sed præsentem adoptionem cõment-

dat. In secundo membro fatetur Deum realem iam tunc fuisse Patrē, hominis Christi intuitu. Quomodo hæc conuenient, Deum sub Lege, nō in veritate, sed in vmbra duntaxat pollicitum fuisse quōd futurus esset Pater: & tamen iam tunc realē fuisse Patrē? Nihil in Serueti verbis muto. Quare perspiciunt lectores, an illi sani, & sobrii spiritus gutta fuerit. Vt tamē venia antilogiæ detur, nondū elapsus est Seruetus. Nā si tunc realis erat totius Ecclesiæ filiatio, realē quoq; vnigeniti Sermonis fuisse oportet, in quo prior illa fundata erat. Exhibitus nōdum erat in carne Christus, fateor: sed æterna Verbi generatio à carne nō pendeat: quemadmodū delirat Seruetus, pruritū nescio quē Deo affingēs, donec virginem nactus est quæ foetum ex eo cōciperet: quem admodum si quis hominū muliere priuatus ad generationē adspiret. Quia præcise negauerat, vel vnum in Scriptura esse locum vbi Filii Dei nomē ponatur, nisi de Christo homine: ne sibi nimium placeret, locum adduxi ex Prouerbiis, vbi Solomon nomē Filii Dei ineffabile esse ait. Mentiri me clamat Seruetus, quia de futuro Christo sit prophetia. Atqui eodem colore diceret alius hæreticus, de futuro Deo agi. Vno contextu, & absque vlla diuersitatis nota, Solomō Deum & eius Filium celebrat. Vtriusque nomen immensa gloriæ esse testatur, vt exprimi hominum lingua nequeat. Hæc simplicitas Serueto mēdaciū est: quia illi placet in futurum tempus trahere, quod in præsentī Solomo affirmat. Quasi impuri hominis libidinē instar summi decreti haberi necesse sit. Deinde insultat, quia vnum duntaxat locum protulerim. Quasi

verò ad coarguendam eius superbiam non sufficiat vnus locus. Vnum locum ostende, inquit ad Melancthonem: nō poteris. Ostēsus est vnus. Inopiam nostram subfannat. Et tamen præfatus eram, me in eo loco nō insistere: sed obiter attingere, vt Serueto ansam de voce rixandi præciderem.

Nunc ad veterum testimonia venio: vel quæ ab ipso nequiter corrupta demonstraui, vel quæ a nobis adducta diluere conatur. Hoc in genere tenendum est, quod facile singulis locis perspicient lectores, Seruetum de nihilo fucum facere, dum hoc principium arripit, Visibile fuisse ab initio Dei Verbū: & Christum hominem fuisse ex tribus increatis elementis compositum, quia Dei Verbum sub hominis specie apparuit. Hoc posterius absque controuersia receptum fuit inter veteres. Nugari me dicit Seruetus, quum rem omnibus tritam refero. Nā Athanasius, Basilus, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alii, quos Seruetus Sophistas nominat, subinde hoc inculcānt. Nec tantum inter Sorbonicos vsu hoc receptum est, sed ad Canonistas vsque peruenit. Quare hic perpetuus fuit omnium ætatum consensus, Filium Dei principem inter Angelos sub hominis forma apparuisse sanctis Patribus. Quasi verò Irenæus, & Tertullianus quicquam à reliquis diuersum tradāt: eorum testimonio probare nititur Seruetus iam tūc fuisse aliud Christo corpus, in quo visibilis esset Dei substantia, & Verbum eius sine corpore creato visibile. Si obseruent lectores in quo hallucinetur Seruetus, nobis non erit longa, nec flexuosa disceptatio. Visibi

lem fuisse Dei Filium in forma hominis dicunt Irenæus & Tertullianus. Assentior, imò cōcinunt vno ore omnium ætatum Græci & Latini scriptores. Inde colligit Seruetus, Visibilem igitur fuisse Verbi Dei substantiam, & eandem fuisse futuri hominis Christi. Nulla autem syllaba apud Irenæum & Tertullianum reperietur, quæ ad hoc commentum accedat. Quin potius aduentitiū fuisse corpus sentiunt, sub quo se patefecit Dei Filius. Ita ad primum locū Tertulliani prompta est respōsio, Deitatem substititisse in hominis forma, quam tunc assumpsit Sermo Dei, modò simul teneamus ascititiū fuisse corpus illud, in quo visibilem se præbuit. Secundi loci nō ab similibus est solutio: visum fuisse concedimus Dei filium, sed dispensatione, nō sua natura. Ex opposito insurgit Seruetus, in hoc à Patre differre Sermonē, quia visibilis est. Atqui memoria repetere debuerat quod prius ex eius Apologia citavi, Verbum sua natura non minus inuisibile esse, quàm Deum. Vnde sequitur aduentitiam fuisse speciem vel formam, in qua videri potuit. Iterum excipit Seruetus propriū esse Sermonis repræsentare. Vt hoc fatear, an repræsentatio ad solos oculos pertinet? Sermo hominis dicitur mentis character: an quia in oculos incurrit, & humana forma spectandum se præbet? Si ne humano quidem sermoni conuenit tam crassa repræsentatio, quāto magis à diuino talis crassities abhorret? Adde quòd passim Tertullianus Filium Dei verè, semper, & re ipsa fuisse prædicat: Seruetus nulla ratione fretus non nisi personalem admittit. Quòd ad tertium locū spectat, stultè sibi plaudit Seruetus.

quia confessus fuerim formam & effigiem carnis in
 Verbo substituisse. Nam hæc loquendi forma vt ra-
 tioni consentanea non est, mihi nunquam excidit.
 Deinde, vt demus effigiem carnis Verbo fuisse circū-
 datam, nihil hoc Serueto suffragatur, qui corpus di-
 uinam Verbi hypostasim fuisse somniat. Nā etsi fate-
 mur verū fuisse corpus, quod sub Lege induit Filius
 Dei, non tamen idcō concedimus hominē fuisse fa-
 ctum: nihilo scilicet magis, quā Spiritum sanctū
 fuisse columbam, dum sub columbæ specie appa-
 ruit. Hinc tanta audacia me contra mentem Ter-
 tulliani mentiri clamat Seruetus: quia cum ipso nō
 imaginor formatū ex Deo corpus, quod neque Deus
 esset, neque homo, sed vtriusque speculū. Nec lon-
 ga refutatione indiget quartus loc⁹, nisi fortē in ab-
 stergendis Serueti sputis satagete libeat. Hypostasim
 Patris in Filio relucere dicit Tertullianus. De hac
 re frustra Seruetus litem mouet: nisi quia corporeæ,
 & increatæ formæ speculatio eius mētem occupat.
 Fatetur interim Christi personam fuisse in Patre.
 Quomodo hoc? Scio quid velit, in Dei scilicet essen-
 tia fuisse ideam, quæ simul cū luce prodiit: Tertul-
 lianus verò longè aliter. Postquam enim Filium di-
 xit Patris esse personam, vicissim personam in Patre
 locat, quæ referat Filium. A quo non minus, quā
 ab omnium suorum dogmatū ruina Seruetus ab-
 horret. De quinto loco breuiter respōdeo. Exultat
 quasi victor Seruetus, quia doceat Tertullianus Fi-
 lium Dei visibili, & corporali substantia fuisse præ-
 ditū. Atqui id nostræ doctrinæ minimè repugnat:
 modò notetur assumptam ad tempus fuisse substā-

tiã hanc à Filio Dei, vbi & quoties ita ferebat dispẽsa-
tionis ratio. Moyfi in rubo ardenti loquutus est Dei
Filius sub hominis specie. Effigiem illã libẽter sub-
stantialem fuisse concedo, non inane spectrum. At
verò Seruetus ad corpus suum increatum rapitur,
cui Sermonis nomen imponit. Rursus Filium Dei,
quem Tertullianus præsentem illic inducit, vult ef-
se Filii nõdum geniti figuram. Quia de formali di-
spõsitione alibi opportunior erat tractãdi locº, pau-
lisper distuleram. Atqui Seruetus hĩc me vrget, ac
dissimulandum esse negat. Quinetiam scurriliter io-
catur, victũ me fugere. Scilicet quasi me aliqua vio-
lenta necessitas ad fugiendum compulerit. Quid sibi
velit dispositio formalis, attingere non audeo: quum
tamen docendi genus, quod tenemus, hæc loquutio
optimè confirmet. Primũ, dispositio naturæ op-
ponitur. Deinde, forma essentiæ. Nam quod in natu-
ram Dei propriè non cadit, ad dispositionem refer-
tur: quia scilicet Deus, vt se nobis accommodet, ex
immensa sua, & incomprehensibili altitudine quo-
dammodo descẽdit. Formalis autem vocatur dispo-
sitio, quæ tãtum ad sensum nostrum relata nihil de-
rogat essentiæ Dei, nec quicquam in ea variat. Qua-
re non sine pudore repeto tam securam nebulonis
proteruiam. In sexto loco nihil proficit, iustam re-
prehensionem conuictis obruere tentans. Legantur
Tertulliani verba: patebit Seruetum perfidè suppo-
nere, quæ sancto viro nunquam in mentẽ venerunt.
Fœdior etiamnum impudentia se prodit, dum suæ
falstrati applaudens, exclamat, O verba aurea. Quod
deprehensus, tam conuictum crimen purgare nõ ni-

titur, dáda est venia. quid enim faceret? Sed quòd flagitium suum saltem tacendo non præterit, plusquã ferrea est durities. De septimo loco sic habeãt lectores. Primum, ex scriptoris lectione cognosci posse quod à me dictum est, non verè, nec ingenuè à Serueto citata fuisse eius verba. Deinde & alterum illud elicere promptum erit, oppugnari illic Serueto delirium, quum docet Sermonem videri rem posse. Si enim res erat, sequitur realiter à Patre fuisse distinctũ. In fabrica visibili, aut corporali nõ multũ laboro: quia his verbis simpliciter ascititiam formam commendat, in qua Filium suum Deus patefecit.

Porro, nimis ridiculè cauillatur, me digredi, ne respondeam, dum syllabam vnã à me ipso nõ proferens, eum perpetuo eiusdem loci contextu vrgeo. Propriam Filio Dei substantiam tribuit Tertullianus. Annuere quidẽ Seruetus se fingit. Sed quo sensu? quia scilicet corpus sit increatum, aut Verbum visibile, neque Deus, neque homo. Mens verò Tertulliani longè diuersa, cui Sermo Dei idem est qui Filius: & asseritur non esse res inanis, & propriam formam habere dicitur à Patre distinctam. Ad personalem suum Filium si reuoluitur Seruetus, palãm Tertullianus reclamat, nomen Filii propriè illi vendicans, & ideò defendens à Patre secundum esse, quia Filium agnoscit. Excipit Seruetus, dispositione secundum esse. Atqui tale cauillũ verba non ferũt, vbi Tertullianus Filii hypostasim intus, & in sua natura à Patre distinguit, non autem in solo hominum sensu. Realiter verò distingui à Patre, quid negare iuuat? Nihil tale, inquit Seruetus, auditum fuit. Quid

autem est realiter distingui, nisi quā res aliqua scorum esse asseritur? Disertè exprimit Tertullianus Sermonem esse rem non vacuam. An inter res duas nullum erit reale discrimen? Subiicit Tertullianus duas res esse, Deū, & eius Sermonē. Quomodo rem vnā ab altera distingui vult Seruetus, nisi realiter? Sed hoc perinde transmittit, ac si nihil sonaret nomen rei. Colorem etiam inducit, quod Pater alius sit à Filio tanquā inuisibilis à visibili. Atqui hoc modo non conueniet similitudo quæ apud Tertullianum sequitur, nempe vt sol & radius duæ sunt formæ. Sed alias latebras quærit Seruetus: quia Tertullianus apertissimè alibi distinctionem tollat inter Spiritum & Sermonem. Etsi autem durius Tertullianum loqui fateor, nihil tamen minus illi propositum fuisse certū est, quàm confundere quæ alibi passim discernit. Dum in hanc partem incumbit pius doctor vt Filio substantiam asserat à Patre distinctam: ac similiter rem substantiuā, ostendat esse Spiritum: de mutua inter Sermonem ipsum, & Spiritum relatione non laborat, quin potius hæc duo vnū esse dicit. Sensus tamen simplex est, infusa Spiritus virtute in virginem, Verbum carne fuisse indutum. Ideò paulo post subiicit, res illas collatas fuisse in virginem. Vnde elicitur aliqua saltem distinctio. De octauo loco respōsio, quam dedi, sanis lectoribus sufficiet. Quum Angeli humanis corporibus vestiti olim fuerint, inde colligit Tertullianus Filium Dei non minus potuisse hominis carnem induere. Ergo Filius Dei est Sermo spiritualis, & inuisibilis essentia, qui carne indutus formam visibilem assumpsit.

Quòd excipit Seruetus, olim verè habuisse humanã formam, nihil ad rem facit. Habuerit sanè quoties ita placuit, quum tamen dicitur carnem induisse, separatim extra carnem Filius Dei esse asseritur. Adhæc, quum aliunde corpus sumpserint Angeli, si idem factum est in Christo, sequitur hominis substantiam à Verbi substantia differre. Seruetus verò eandem esse contendit: quia secundum eius figmèta Verbum in carnem conuersum est, & caro Christi ipsa est Deitas. Ne iuguletur Seruetus, ad suum Simonem magum confugit. Cæterum, cur mihi probrum hoc aspergat, suo loco dicitur, vbi etiam facile à me discutia. Nonus & decimus locus noua expositione opus non habent. Nec moror, quòd me in re aperta oculos claudere queratur Seruetus. Vellet scilicet suum Verbum visibile sibi cõcedi. Atqui Tertullianus prorsus in diuersum scopũ collimat.

In vndecimo loco an mentitus sim, sicuti mihi improbrat Seruetus, iudicium ex codice fieri volo. Certè reperient lectores, ex professo illic oppugnari quod nobis Seruetus obtrudit delirium. Duodecimum locum ipse sibi extortum videns, aliò transuolat: quòd idem sint Sermo & Spiritus Tertulliano: quod paulo antè refutaui. Idem sint etiam Sapientia & Spiritus: quasi Tertullianus non variè nomen Sapientiæ vsurpet. Nam diserè Sapietiæ hypothesin subesse negat, sed accidens esse dicit. An verò realis distinctio nũquam ab eo scriptore agnita fuerit, qui plus centies pronuntiat res esse distinctas: lectoribus iudicandum relinquo. Sophisma de quo in locum decimum tertium mihi inuidiam facere ten-

tat, nullum est. Christum hominis epitheton non e-
 go solùm esse dico, sed res ipsa clamat. Filii nomē ad
 Deitatem referri, alibi docuimus. Sed hoc nō obstat
 quominus verè sit Filius Dei homo Christus, ob per-
 sonæ vnitatem. Querimonia Serueti in locū deci-
 mumquartum, vno verbo soluitur. Nam quòd sibi
 impudenter imponi dicit, ad verbum libro 4, de Re-
 generatione posuit, vt suo loco dictam est, & iterum
 alibi repetam. De loco decimoquinto nō est quòd
 rixemur. Volumen inspiciant lectores, nihil occur-
 ret quale finxit Seruetus: sed quod ipse nullo au-
 thore conceperat, Tertulliani suffragio videri vult
 probatum.

Ea est locorum, quos ex Tertulliano citauimus,
 perspicuitas, quæ nullo artificio eludi queat: tan-
 tum abest vt inani Serueti garritu lucem suam amit-
 tant. Perfecta Verbi natiuitas in mōdi creatione ab
 illo scriptore asseritur: Serueto nulla est generatio
 Verbi, nisi in figura, ad futurum scilicet hominem
 respiciens. Neque tamen mouetur, quum audit Ser-
 monem absque carne perfectè ex Deo esse natum.
 Quinetiam obiicit sententiā hanc mihi aduersam
 esse: quia scilicet non æterna ponitur natiuitas, sed
 initium illi datur. Quasi verò difficilis sit solutio:
 Tertullianus enim perfectè natum esse Sermonem
 asserit, qui antè arcano modo genitus erat: sicuti Pau-
 lus Christum genitum fuisse dicit, quum cælesti po-
 tentia declaratus fuit Dei Filius. Sensus est igitur,
 Sermonem, qui occultus latebat apud Deum, effectū
 ipso tunc palam emerfisse. Quo nihil ad fidei nostræ
 confirmationem aptius dici potuit. Affirmat Ter-

tullianus Patrem à Filio semper fuisse distinctum: quia relatiuè inter se habent. Hic laruam suam opponens Seruetus, mutuam relationem Patris & Filii delere se putat. Dicit Tertullianus Sermonem Dei ab initio fuisse Filiũ. Cauillatur Seruetus personaliter hoc debere intelligi: quasi Sermonem in locum rei substituere liceat, quoties ita visum est. Negat Tertullianus Sermonem cum Patre eundẽ esse à quo prodiit: sed inde colligit esse alium. Ridet Seruetus, quòd his verbis doceam realiter distingui. Dicit Tertullianus vnãquamque personam in sua proprietate constitui, quoties Pater ad Filium loquens, vel ad Spiritum sanctum inducitur. Seruetus prophetias esse causatur de futuro homine. Quasi non mutua illic notetur relatio inter tres personas. Et quomodo hoc tam facilè deuorat Seruetus, qui personam vocari non patitur, nisi visibilem Verbi speciem, quæ secundum ipsum futuri hominis erat hypostasis? Multis locis atrociter me vexat: quia Patri assignem suam personã. Tertulliano aliud negat notari personæ voce, quàm vultum increatum, vel ideam futuri hominis. Locum hunc tam apertum securè transilit de tribus distinctis personis. Tertullianus Filium docet eundem esse visibilem, & inuisibilem. Hoc in Praxeam reiicit Seruetus, & me nihil intelligere pronuntiat. Atqui Tertullianus postquam ab aduersa parte obiecit Filium fuisse inuisibilem, quia inuisibilis fuit Pater in Filii nomine, ex suo sensu deinde respõdet in eum quẽ retuli modum. Interea Seruetus suum de Verbo visibili phantasma, oraculi vice nobis

obtrudit. Tertullianus disertè alium fuisse pronū-
 tiat à Patre, qui ab initio fuit apud Patrem, licet
 Deus Sermo fuerit, fuisse tamen Deum, non qua-
 tenus erat Pater, sed quatenus Filius. Serueto non
 ista est realis distinctio, sed dispositio qualem som-
 niat. Et certè fateor dispositionis nomen illic ha-
 beri, sed pro essentia modo, ne distinctio inter per-
 sonas essentia unitatem laceret. Sed quid sibi vult
 ista peruicacia? nolle distingui verè, & re ipsa, qui
 duo clarè vocantur, quorum alter ab altero differt.
 Tertullianus mallet admittere deorum pluralita-
 tem, quàm vnum versipellem deum. Porrò versi-
 pellis Deus ab ipso intelligitur, si Filius cum Pa-
 tre miscetur, & Pater cum Spiritu, vt nulla sit di-
 stinctio, sed Deus se in varia nomina transfiguret.
 Hoc vno dicto conficitur Seruetus: se tamen attin-
 gi negat. Tertullianus clarè asserit Patrem non fie-
 ri visibilem in Filio personæ representatione: ac
 deinde exponit, non oculis, sed sensu Patrem vide-
 ri. Seruetus, qui vbique furiose clamitat non esse
 personam, nisi quæ oculis conspicitur, nullum esse
 Verbum, nisi quod Deum in persona represen-
 tat, manet adhuc sui similis, nec suū vulnus sentit:
 ne tamen videatur nimis stupidus, de persona sepa-
 rata hoc dictum esse exponit. Quasi verò Tertullia-
 nus virtutes personæ opponēs, nō clarè demōstret
 personam sibi esse occultam hypostasim, quæ per se
 oculis nō est exposita. Atque hoc loco Seruetus ipse
 totā suam causam euertit: personas enim fatetur di-
 stingui. Quid hoc est? Nulla secundū eū persona est
 nisi visibilis. Quo igitur colore Patris personā, quæ

inuisibilis est, nobis pinget? Nec de alia re acrius nobiscum rixatur, quàm soli Filio cōpetere personā. Hinc apparet quàm bene sibi constet in suis figmentis. Cæterum ne astutiæ suæ foetorem hoc emplastro tegat, breuiter monēdi sunt lectores qualiter distingat personas, pagina 274. Realiter, inquit, differt Filius à Patre, & à Filio Spiritus sanctus, non essentialiter: quia eadem est Deitatis essentia. Pater est totius dispensationis, & Deitatis origo, simpliciter Deus, sine creaturæ admixtione, vel participatione aliqua, in se consideratus, incomprehensibilis. Filius Deitatem habet Patris cum corporali participatione creaturæ. Spiritus sanctus Deitatem habet Patris & Filii, creaturæ quoque participationem à Filio accipiens. In summa, realis est, inquit, distinctio, adiunctæ creaturæ intuitu. Annon hîc est ille verisipellis Deus, quem tantopere exhorret Tertullianus, vt malit plures fabricari deos? Quoscunque enim fucos inducat Seruetus, res tamen eò cadit, vnum esse Deum Patrem, qui se creaturis miscens, diuersas personas sibi asciscit: Sermonem non simpliciter esse Deum, sed dimidia ex parte: quia admixtio creaturæ illum à Patre discernat: Deitatem quoque Spiritus nihilo magis puram esse, sed creaturæ fece infectam. Quis ad tales blasphemias non contremiscat? Interea conuincitur Seruetus cæco furore litem nobis mouisse de tribus personis. Dicit Tertullianus noster in singulas personas tingi in Baptismo: Seruetus fumum aspergit, quòd Patrem non neget à Filio realiter distingui: Filium verò hominem intelligat. Interea de Spiritu sancto tacet, quem alibi cum

Verbo cōfundit: neque id solūm, sed persuadere co-
 natur, nullum à Tertulliano poni discrimē. Docet
 Tertullianus Deum minimè esse carnē, ac Verbū
 minimè carnem factum, quia in carnem transfigu-
 ratus sit, sed quia carnē indutus, eo quòd transfigu-
 ratio interemptio sit pristini: Seruetus eandē nunc
 carnis Deitatē in Christo cōminiscitur, quæ olim
 fuit Verbi: substantiam quæ tunc Verbi erat, nunc
 esse carnis: denique carnem esse Deū. Si cum eo cō-
 fertis manibus Tertullianus pugnaret, non posset
 magis ex professo eum stringere. Atqui ferreā fron-
 tem hīc quoque ostētat, se eadem vbiq̄ docere iac-
 tans, & tamē nihil ad rem facere. Quid hoc est: Ser-
 mo, Tertulliano teste, non ex transfiguratione, vel
 demutatione substantiæ caro factus est, nec mixtu-
 ra quadam, sicut electrum ex auro & argento con-
 ficitur: sed quia in carne se exhibuerit, substantias
 suas proprietate distinctas retinens. ac tandem con-
 cludit in vna Christi persona duplicem esse statū:
 quia alioqui vel Sermo esset mortuus, vel caro mor-
 tua non esset, si Sermo esset conuersus in carnem.
 Istis Serueti deliriis obtusæ sunt lectorum aures:
 me tamen extra rem vagari fingit. Quid? hoc me
 est præter rem vagari, Tertullianum ita contrariū
 ostendere, vt singula eius verba cum totidem Ser-
 ueti deliriis in certamen committam? Interea vt a-
 liquid contra afferat, conqueritur omissum fuisse
 à me locum de faciei diuinæ conspectu. Quasi non
 iam plus decies caput hoc discussum, & solidè expo-
 situm à nobis fuerit. Ac tam vernilis est eius scur-
 rilitas, vt pulchritudinem loci illius iactando, con-

tra tam clara testimonia oppedere non dubitet.

In Irenæi testimoniis iterum excutiendis dabo operam ne lectoribus sim fastidio. Et certe me pudet laborem hunc retexere. Sed quoniam ita cogit Seruetai improbitas, hoc molestiæ mecum deuerent pii lectores. Docet Irenæus, in figura hominis Iesum Patribus loquutum. Hinc corpus increatum elicit Seruetus, cui personæ nomen imponit, quod à mente Irenæi prorsus alienum est. Homini ergo stultitiam meritò refutauit, qui tale spectrum de nihilo sibi confinxit. Grauius hinc stomachatur, quia spectrum dixerim. Atqui non intelligo inanem fuisse figuram, sub qua apparuit Filius Dei: sed nomen hoc accommodo ad Seruetai præstigias. Nec abs re commentitium esse diximus, quòd velut ex Irenæo citet, ad imaginem vultus, aut figuræ Christi plasmatam fuisse carnem Adæ. Nam de effigie ista, quam Seruetus ostendit, nulla prorsus mentio fit: sed quòd homo perfectus sit, qui ex corpore & anima còpositus superueniente Spiritu formatur ad imaginem Dei. Quòd Seruetus exprobrat me negare insitum hominibus Dei Spiritum: quale sit, alibi exponam. Hic verò falsi crimen effugere non potest, qui sua figmenta pro Irenæi verbis retulit. Dixi insulse colligere Seruetum, non esse Sermonem nisi qui repræsentet: quia tradat Irenæus Abraham repræsentatione didicisse, Verbum Dei fore hominem. Superbè inuehitur Seruetus, & me Grammaticæ, ac simul maternæ linguæ ignarum esse clamat. Primum sitne ex propria Verbi naturâ repræsentare, non disputo: sed tan-

tum quid Irenæi verba cōtineant. Ab hoc nodo se expediat Seruetus, pōst de Verbi natura videbim⁹. Repræsentationem Irenæus vocat, quòd Christus assumpto hominis corpore, futuræ suæ incarnatio nis quoddã, vt ita loquar, documentũ ostēderit. Corpus illud Seruetus vult fuisse increatã Verbi substãtiam, vt corporale fuerit Verbũ. Porrò Verbi repræfætatio qualis sit, alibi dictũ est. Nec scio in quo Gallix angulo didicerit vocem *parolle*, laruã sonare quæ oculis conspicitur. In tertio loco Irenæũ clarè demōstrauimus de mūdi creatione loqui, in qua Deus se quodãmodo nobis in Verbo comprehēsbilem exhibuit. Mētiri me Seruetus clamat. Atqui verba fideliter à me referri ne ipse quidē inficiatur. Sed phreneticus homo sibi credi vult, Irenæũ ab alio ad aliud transire. Quod tandē in fine subiicit, in cōtextu nō haberi, lectores ex codice discant. Quartiloci solutio, quæ à nobis allata fuit, nihil perplexum continet. Patres sanctus Martyr dicit Spiritu prophético vidisse passibilẽ Dei Filium, qui tũc impassibilis erat. De visione rei præsentis agi clamat Seruetus. Esto. an ideo corporea fuit Verbi substãtia, quòd corpore aliunde sumpto factum est visibile? Quòd quintum etiã locũ calūniosè ad suas nugas detorsit, hinc liquet quòd Irenæus de imagine Dei loquẽs, eam hominis naturæ insculptã fuisse intelligit, dum spiritualiũ donorũ particeps est fact⁹, quẽadmodũ suprã liquidò exposui. Serueto nulla est Dei effigies, nisi in corpore, vt increatũ Verbi corpus, quod sibi per somniũ creauit, retineat. In sexto loco ita cōfusus iacet, vt nullũ, nisi in assensu

effugium reperiat. Sed interea falsi conuictus tene-
 tur. Nam vt aboleat aternam Verbi generationē,
 contendit Irenæo teste, Verbum ex virgine esse ge-
 nitum: quum Irenæus potius duplicem generatio-
 nem innuēs, fidem nostram suo suffragio compro-
 bet. Non minus clarè in septimo loco mōstrata à
 nobis fuit eius perfidia. Irenæo enim hæc verba tri-
 buit, quòd realis non sit inter Patrem & Filium di-
 stinctio. Quod falsissimū esse constat. Nunc vt mē-
 dacium excuset, ratiocinatur, Si pater ipse est *αὐτός*,
 realiter à Patre nō differre. Quasi verò communis
 nobis omnibus non esset ista confessio, Totum Fi-
 lium esse in Patre, & totum Patrem in Filio, vbi de
 essentiæ vnitate agitur. Neque enim Ecclesia per-
 sonas realiter distinguendo, Dei essentiam lacerat.
 Verè ego dicitur Pater mundū per seipsum creasse
 quem per Sermonem creauit: quia vnus, idēque
 est Deus, simplēxque essentia. Per aliū nihilominus
 æquè verè, & aptè creasse dicitur: quia à suo genito-
 re distingui necesse est, qui (eodē Irenæo teste) ante
 secula genitus fuit. Quod in fine subiicit supposi-
 titiū fuisse, negare tādē ausus nō est. Multis locis
 profiteri Irenæum fingit, quod à discipulis Apосто-
 lorū didicerit, Patrem mundū non creasse per Ver-
 bum, quasi per rem aliā. Nulla syllaba reperietur,
 quæ tale aliquid sonet. Similis est octauī loci ra-
 tio. Nā vbi sanct⁹ Martyr plurali numero docet, nō
 intelligi in Scriptura plures deos, sed dispositiones,
 quæ in Deo sunt, Seruetus pro diis pluribus, res di-
 stinctas subiicit: se tamen interea falsarium dissimu-
 lat. Quod ad nonum locum spectat, insipida Ser-

ueti consequētia nullo negotio refellitur . Irenæus, quod fatemur omnes, Filium Dei olim yisum fuisse dicit sub hominis specie, nempe quia humanū corpus, quoties ita visum est, assumpsit, in quo se patefaceret: non quòd iam tunc homo factus sit: quia hypostatica vnio non erat: sed quia formam ad tempus assumpsit, in qua futuræ suæ humanitatis gustū præberet. Inde colligit Seruetus, Verbum sua natura fuisse visibile, & formam hominis increatam fuisse, ac cælestem . Meam tamen fatuitatem ridet, quòd nihil hîc difficile percipiam . Interea impiam suam blasphemiam imprudens reteggit, quam fucare alibi laborat, nunquam fuisse Dei Sermonem, nisi sub visibili hypostasi. Porrò, quum hæc hypostasis, vel ipso teste, in mundi creatione cœperit, hoc modo destruitur Sermonis æternitas . Decimi loci perinde facilis est explicatio. Quorsum enim tendit Seruetus, nisi vt Sabellii errorem asserat, nequa sit inter Patrem & Filium distinctio? Me tamen accusat mendacii, & impudenter fingere dicit, quū locus sit apertissimus. Sed quid locus continet: Irenæi enim sententiam ambabus vlnis libèter amplector: Serueto autem nihil inde accedit. Nisi forte victoriã in eo statuatur, quòd Christus vocatur Dei imago. Et sanè, vt video, in suum illud delirium subinde reuoluitur, Verbo fuisse increatam effigiem. Sed quum omnium ætatum cōsensu agnitus fuerit Filius imago Dei, hoc bestię somnium nemini vnquã in mentem venit. Porrò quicquid cauilletur, lectores videre existimo quàm contraria sit impiis eius cōmentis Irenæi authoritas. Pronuntiat sanctus Martyr

Christum non esse hominem, nisi acceperit ab homine carnis substantiam. Seruetus, qui vbiq; fertidè blatterat carnē Christi esse Deitatem, & ex Dei substantia formatā, nihil hoc ad rem facere excipit. Nebula quam aspergit, quòd contra Magos loquatur qui Christi carnem negabant, facile discutitur. Neque enim carnem solùm vendicat Filio Dei, sed eam ab homine sumptā esse contendit, & ex humana substantia formatam: à quo prorsus abhorret Seruetus. Paulo pòst, vbi facetus videri affectat, apparet eius dicacitas sine sale. Vidēt lectores mutilā esse sententiæ illius clausulam, quæ à me citata fuerat. Ne dubio testimonio niterer, defectum illum aliunde sarcire volui. Quasi iocandi materia data foret, Aliò, inquit, te confer, nihil hīc agis. Ego quidem ferreum desperati hominis pectus mollire non potui: apud alios tamen plus egi, quàm vellet. Secundus enim Irenæi locus palàm docet vnigenitum fuisse Dei Filium, qui carnem assumpsit. Deinde suum plasma in se recapitulasse. Quibus verbis significat ex Adæ substantia sibi formasse corpus. Quum testetur Irenæus nouissimis temporibus Filium Dei factum esse visibilem, iudicium cuius relinquo, verène, & appositè intulerim, refelli Serueti commentū de æternitate visibilis substantiæ. Me tamen dicit mentiri. Sed vnde mendacium arguit? Quia, inquit, antè delitescerat, & demū palàm apparuit. Vbi nunc tritum illud eius axioma, Non esse personam, nisi quæ palā oculis conspicua est: Toties pleno ore iacet splendorē personæ Christi semper fuisse conspectum: nunc eum in latebras

demergit. Quanquam ne hoc quidē serpentis flexu elabitur. Visibilis enim esse Filius Dei secundū Irenæum cœpit, ex quo passibilis factus est: idque factū esse asserit nouissimis temporibus. Ergo euanescit æterna illa Verbi effigies, quā Seruet⁹ in cerebri sui incude fabricauit. Denuo dicit Irenæus, Sapiētiam Dei semper fuisse filium. Seruetus, qui verum Filium non agnoscit nisi ex Virgine genitum, securè aliò transuolat, fictitiam suam in creaturis Deitatē ventilans. Denique, Irenæus Verbum & Spiritum disertè plurali numero distinguit. Hoc quoque postremum surda aure præterit Seruetus, qui nuper asseruit eundem esse cum Spiritu Sermonem.

De locis ex Clemente adductis, multa verba facere superuacuum foret. Primum, ea est libri insul-
 sitas, cuius vel pueros ipsos mediocri doctrina tin-
 ctos meritò pigeat: deinde nihil inde protulit Ser-
 uetus, quod doctrinæ nostræ non congruat. Sum-
 ma est, latenter semper adfuisse Christum sanctis
 patribus, & inter Angelos summi Prophetæ officio
 functum. Assuit nunc de suo Seruetus, visibili for-
 ma & vera. Hoc quoque concedo. Sed quæritur an
 forma illa fuerit verbi hypostasis, & increatum cor-
 pus, quod deinde in vtero Virginis in carnem
 conuersum est. Porro, citius oleum ex lapide ex-
 primet Seruetus, quàm ex Clemente vocem edu-
 cat probando tali portento. Tametsi autem in eodē
 libro multa veterum testimonia excusa sunt, qui-
 bus non minus duriter quàm malleis, contunditur
 Serueti impietas, argutè se explicat, quòd ibi tātūm
 Petri dicta obseruet. Nec verò quia magnopere te-

stimoniis illis confidam, ea obiicere visum est: sed ut
 ridicula hominis vanitas omnibus pateret, qui nos
 de nihilo territare volens, pro Apostolorum disci-
 pulis veditat ignotos scriptores, à quibus turmatim
 obruitur. Perstat tamen in sua duritie, & se posse re-
 cipere dicit. Quid hinc dicam nescio. Si testes mihi
 hodie subornare liceat, & pro arbitrio illis dictare
 quod respódeant: neque aliud, neque aliter cuperem
 ipsos loqui, quàm quod ad verbum illic legitur.
 Vno tantùm verbo defleat nebulo iste, quòd reci-
 pere possit tam plenas sententias, quibus errorum
 eius farrago in nihilum redigitur. Quinetiã suum
 illud Mentiris, mihi ingerit: quia eius commento
 Sotheri doctrinam de duplici generatione opponã.
 Quid, quum dico à Serueto tradi (quod singulæ libri
 eius paginæ sonant,) Verbũ Dei non fuisse olim, nisi
 personaliter genitum futuri hominis respectu, an e-
 go mentior? Quum dico genituram Dei & hominis
 confusam ab eò tradi, qui clamat duos fore Dei Fi-
 lios, si Sermo incorporeus ab eo genitus fuerit, an e-
 go mentior? Denique, quum errorem hunc refelli &
 concidere dico, si recipimus Christum secundũ car-
 nem Filium esse hominis: quia verò secundum di-
 uinam naturam ex Patre ante secula genitus fuerit,
 censerì Dei Filium, an ego mentior? Quàm odiosa
 illi sit idiomatum communicatio, & quam infestus
 contra eam ebulliat, ex compluribus eius dictis ap-
 paret. Eam tamẽ Eutychnianus asserit: cui refragari
 non patitur antiquitas, si Serueto creditur. Ne eum
 subito obmutuisse quis putaret, Ego, inquit, idioma
 ta inter Verbum & hominẽ communicari dico sine

vestris illusionibus: nempe quia Verbum mortuum esse dicit, & Sapientiam Dei esse vnctam. Loquutionis autem ratio illi est, quòd Verbum in carnè conuersum fuerit, & vna sit confusè Dei essentia, ac natura. Cæterùm quidquid garriat, manet illi cū Eutyichiano pugna, qui totam doctrinæ nostræ summam de verbo ad verbum, vt aiunt, illic recitat.

Quum tam aduersus Serueto sit Ignatius, vel quis quis sit ille Scriptor, cuius Epistolæ sub Ignatii titulo feruntur: ideòque fallaciter Seruetus ipse nullam eius fecisset mentionem, quem prius alto supercilio optimum sibi esse patronū iactauerat, dissimulanda nō fuit tanta improbitas. Dixi igitur mirum esse cur nihil ex Ignatio protulisset. Respondet se cōplures citasse locos in suis libris. Primùm eo impudentior est, quòd nō erubuerit illum citare testem qui ex diametro eius delirius contrarius est. Sed hoc in præsentia non agitur. Nam priusquam volumen nactus esset, decimo quoque verbo illi erat in ore, Ignatius ille domesticus Iohannis auditor: mysteria nescio quæ in eius epistolis recondita dicebat, quæ totam controuersiam possent dirimere. Quare nullam ab eo syllabam proferri post tantas iactantias, plusquā ridiculum fuit. Adhæc operæpretiū est notare quo artificio se explicet. Credere se dicit Sermonem ante secula ex Deo fuisse genitū. Atqui supra hoc modo & Deum in frustra discerpi, & filios duos fieri causatus est. Neq; tamē mihi excidit quid alibi dicat, Personaliter genitum fuisse Sermonem, quia in eius substantia futurum hominem concepit Deus. Ignatius verò aliter, qui veram genituram si-

ne figura asserit. Adde quòd dum Solomonis testi-
 monio Ignatius Sermoné Dei Filium semper fuisse
 probat, nò modò nihil mouetur Seruetus, sed me
 cæcitatís damnat, quia non videam id facere con-
 tra me. Sic quũ alibi vnigenitum Dei Filium Ser-
 monem esse docet, ac eundem dicit factum esse Fi-
 lium Virginis secũdum carnem: nodũ hunc soluit
 Seruetus, quòd Christum intelligat. Sic quũ alibi
 iterum prædicat genitum fuisse ante secula, quate-
 nus Sermo æternus fuit, postea & hominẽ ex Ma-
 ria virgine fuisse genitum: respondet Seruetus, ho-
 minem fuisse in forma Dei, perinde ac si Pythago-
 ricus quispiam, ostẽsis hominis natalibus, metem-
 psycofin suam pro clypeo obiiceret. Si hoc modo
 loquutus esset Athanasius, clamaret Seruetus ipsũ
 esse fœdum carnificem Filii Dei, & duos imagina-
 ri filios, in pelle asini includi Christum: suum ve-
 rò Ignatiũ quia non audet sic flagellare, in sua spe-
 ctra transformat. Ne hoc quidem ei difficile est ad
 soluẽdum, quòd vocatur incorporeus filius in cor-
 pore. Atqui nihil absurdius esse clamitat, quàm
 quòd incorporeum esse credimus Sermonẽ ex Deo
 genitum. Tandem animi confusus, dum sua dicta
 retractare cogitur, me tamen bis mentiri dicit. Nò
 ambiguẽ multis locis asserit, Deum ab initio ad Fi-
 lii generationem fuisse affectum, donec mulierem
 nactus est, quæ ex eo cõciperet: nec dubitat, adducto
 humanæ libidinis exemplo, pruritũ Deo affingere.
 carnẽ quoque apertẽ Deum vocat. Nunc dũ parcẽ,
 & modestẽ hæc attingo, me suo more semel & iterũ
 proteruẽ mendacii accusat. Lectorum oculos obli-

nere sibi videtur, dum carnē inducit Dei participē. Quasi hac voce deleantur sacrilegia illa, quibus referti sunt eius libri. Nec verò aliis locis opus est, quàm quos in suā excusationē adducit. Nā priore loco nugatur, Verbum illud quod olim essētialiter erat forma hominis, nunc esse Deitatem sub forma hominis. Sub forma, inquit, non confusa, nec imminuta. Quomodo hoc? Subiicit non esse tale Verbum, quale olim fuit: quia nunc caro factū est. Coaceruat postea complures blasphemias, quòd umbra olim fuerit duntaxat, ac rei futuræ præfiguratio; in quo & eius imperfectio notata est. Secundo loco mutatum esse negat Verbum, sed carnē fuisse in illud trāssformatam, ideóque formam hominis, quā habuit ab aeterno, non fuisse confusam, nec alteratā. Totum autē huc recidit, quòd Christi caro mera sit Deitas, nec alius sit Christus homo, quàm qui olim nube increata fuit inclusus. Viderit interea quomodo huic sententiæ cōciliet quod alibi ex eo retulimus, Verbū fuisse in carnē conuersum.

CALVMNIARVM REFVTATIO, quibus Seruetus iustā errorum suorū damnationem à Ministris Geneuensibus conscriptā eluere, vel saltem eludere tentauit.

Quoniam ex eius libris cōstare diximus, præcisè ab eo reiectum fuisse nomen Trinitatis, quasi detestabile cū suo MENTIRIS, ferociter insultat. Id quale sit, mecum expendāt lectiores. Plus centum locis Trinitas simpliciter ab eo vocatur triceps Cereberus, diabolicum phantasma,

Geryonis monstrum, illusio Satanæ, & quid non? Nusquam moderandi causa, additur syllabæ vnus exceptio. Sed alibi Trinitas ab eo conceditur. Honestæ scilicet excusatio. Nam si eo nomine exprimitur sacra Dei maiestas, nõne summa veneratione colendum erat? Postquam illud sine delectu plusquã atrocibus contumeliis proscidit, neque id semel, sed plus centies, nunc paucos locos opponit, in quibus Trinitas verbo tenus admittitur. Videndum tamẽ est, quænã sit ista verissima Trinitas. Sic habet primus locus, quod Deitas, quæ est in Patre, Christo cõmunicata est primùm, deinde eo mediatore Apostolis. Atqui hoc modo lóge maior numerus nobis exurget, & ex Triade fiet Pentadecas. Iam qualis ab eo statuitur Deitas Spiritus? Illum esse dicit quem Christus moriens Patri commendat. Tandem cõcludit verissimam esse hanc Trinitatem, Deum Patrem, speciem imaginis visam, & munus inde procedens. Vbi nunc erit æternus Sermo, si nulla eius Deitas, nisi in imagine visibili fuit? De Spiritu verò quàm prophanè, & impiè: Nam etsi Dei donũ aptè interdum, & ex Scripturæ vsu vocatur Spiritus, tenendum tamẽ in primis erat illud Pauli 1. ad Corint. 12, varietates donorum esse, sed vnum, & eundem Spiritum. Secundo loco, sicuti iam exposuimus, personã Filii & Spiritus discernit à Patris personã respectu admixtæ creaturæ. En Trinitas Serueti, nõ in Dei essentia, sed in creaturis quæ nescio quid mixtum, ac medium habent in quo differant à mera Deitate. Cæterum videamus quàm bene in aliis locis sibi constet. Certè pagina 28, Spiritum sanctum

excludēs, ternarii numeri obliuiscitur. Si nemo, inquit, Patrem nouit, nisi Filius, vbi est tertia illa res, quam metaphysici volunt secūda esse æqualem, in folio Trinitatis locatam, in tertio angulo trichinii? Itē, si Christus nos cōfitebitur corā Patre & Angelis grauem tertiæ rei facit iniuriam, cuius non meminit. Verborum Christi facilis est, ac prōpta solutio: quia sub Patris nomine totam Deitatem suo more cōplectitur. Interim videmus Serueto effluere Trinitatem, cuius vult nunc videri confessor. Sermonis hypostasin si nomines, credere se annuit. Si Patrem voces ingenitum, & Sermonē genitum, duos clamat fieri deos, pag. 30. Vnde ipsū ludere apparet. Sed qua ratione nititur, vt tam acerbè succēseat tribus personis realiter distinctis? Quia nequeunt, inquit, in mentem venire, quæ sub sensum non cadunt, pag. 32. An tolerabilis est hæc bestię ferocia, quòd immensam Dei gloriam, & arcana essentiæ eius mysteria non tantum intellectus sui modulo metitur, sed infra sensus suos subiicere audeat? Quis nunc miretur, si talem superbiam horribili cæcitate punit Dominus? Eant nunc Serueti discipuli, & persuadeant hoc esse fidei principium, nihil recipere, nisi quod capiunt hominis sensus. Iam si locum habet aliud Serueti dogma quod suprā attigimus, extincta tertia persona, tantum restabit dualitas. Ipsammet enim Sapientiam contendit esse Spiritum, pag. 86. Vnde sequitur, nisi vnus, & duo idem valeant, solam esse Filii personam, quæ Patri respōdeat. Verum, aliò postea ipsum rapit sua vertigo, vt duas personas in Christo excudat. In solo, inquit,

corpore, & Spiritu Iesu Christi modus Deitatis est duplex: vnde & duæ dicuntur personæ, pagina 129. Quòd autem principium personæ Spiritus assignat quale audimus, nunquam pro absurdo duxit. Adde quòd innumeras hypostaseis audacter sibi fabricat. Per Deitatem, inquit, quæ nunc est in re quauis, potest Deus nouum mundum creare, & per illam hypostaticè apparere, quanto magis per Deitatè Christi? pag. 150. Quomodo autem hypostaticè Deum constituat in tot personis, Epistola sexta fufius declarat, quòd Deus sit in ligno lignū, in lapide lapis, in arbore arbor. Deinde in Apologia, pag. 698, refutans locum illum ex primo capite Mosis, Faciamus hominem ad imaginem nostram: quum Deus loquitur & præcipit monti, aut pluuiæ, aut lapidi, loquitur Deitati, quæ in singulis est. Sūntne ideo Deitates realiter distinctæ? Personæ ibi dici possunt, quæ audiunt vocem Dei. Quibus verbis annectit quod iam citauimus, posse Deum nunc per Deitatem, quæ est in re quauis, nouum mundum creare, per illam hypostaticè apparere, & seorsum agere. Et adhuc nebulo vocem Trinitatis proferre audebit, vt suos fumos venditet? Videmus enim quotquot sunt in terra lapides, vel trunci, totidem illum induere Deo personas. Videmus etiam non plus Deitatis concedi Spiritui sancto, quàm ferro, aut lapidibus. Pag. 699, tribus personis hoc prætextu illudit, quòd quum ignis gehénæ sit æternus, non iam Trinitas, sed quaternitas in Deo sit euidens, Patris, Filii, Spiritus, & ignis. Quòd si thronus Dei addatur, iam fu-

tura sit *Quinternitas*. Quærit postea, si ne *Trinitas* luminis, nubis & caliginis. Denique sic multiplicat personas, vt inexplicabile sit chaos. Postquam sine modo omnia confudit, fatetur in Deo non modò tres personas, vel hypostaseis, sed etiam tres essentias, pag. 706. Hoc primò execrabile est piis omnibus, simplicem, ac indiuiduam Dei essentiam in tres secare. Nec quisquam ex tota hæreticorum colluuiè vnus extitit ante Seruetum, qui sibi in hac parte tantum licentiæ daret. Sed vnde repète tam profusus est, vt tres personas in vna essentia non ferens, Deum in tres essentias lacerari concedat? Quia inquit, Verbo, & Spiritui sancto admixta est portio creaturæ. Ergo in Deitate fæculenta & impura erit essentiæ partitio. Sed redeo ad illam Verbi & Spiritus identitatem. In archetypo, inquit pag. 165, licet item essent Verbum, Spiritus, & lux, & esset nubes eadem simul aquea, aerea, & ignea, prius tamen referuntur Verbum & Spiritus quàm lux: prius aqua & aer, quàm ignis. Hic vel senarium numerum concedat necesse est, vel omne discrimen tollat. Iam si persona illi dispositionem sonat, videamus quænam secundum ipsum inter Patrem & Filium sit relatio. Pag. 696, postquã sibi ab aduersa parte obiecit, si in homine Christo est Verbũ & Spiritus, cur Verbum potius Filius vocetur: respondet, quanquã vtrunque certa ratione dici possit, in modo tamen esse differentiam, quia in Verbo semper erat Spiritus, in Spiritu Verbũ, virtus eadem, substantia eadẽ Verbi & Spiritus. In Sermone, velut in re externè

visa, erat internè contentus Spiritus. Verbum ergo
 ad corpus ipsum Filii potius spectabat. Vbi nunc
 distinctæ hypostases: imò vbi duæ essentia, quã ne
 inter personas quidem discrimen relinquat: Porrò,
 qua ratione Spiritus sancti Pater sit Deus, definit
 pag. 187. Sicut Pater luminis, inquit, & Pater glo-
 riæ, ac eadem figura dicitur Pater Sapientiæ, & Pa-
 ter Verbi, si absque homine hæc olim intelligas. Vi-
 demus quanto cum ludibrio de æterna Verbi geni-
 tura interdum garriat. Quanuis enim figuratiuè
 eam se accipere declaret, ipsa tamen figura in nihi-
 lum recidit, si non aliter censetur Deus Pater Ver-
 bi, quàm luminũ, misericordiæ, consolationis & bo-
 norum omnium. Quid si tunc Serueto nihil præ-
 ter umbram fuit Spiritus? Hinc certè sequetur, Deũ
 nisi umbratilem fuisse Verbi Patrem. Sic autem ip-
 se disertè loquitur pag. 217. Videndum etiam re-
 stat, quo sensu honorem vnigeniti Filii tribuat
 Christo, pag. 732, Si Deus alium mundum creasset,
 & in aliis formis alias rationales creaturas ex seipsis
 filios generates, & ipse quoque, si voluisset, in ea for-
 ma Filium eis similem genuisset: ac tunc ille quoq;
 fuisset in Sapientia genitus, & fuisset in Deo Sapi-
 entia eadem quæ nunc est exhibitio diuina: & sem-
 per eadem esset ratio Filii Dei, quoad Diuinitatem
 attinet. Videmus vt generi humano primarium
 quendam hominem præficiat, qui in Sapientia for-
 matus, ideo nomen Filii Dei obtinet, quia sit quod-
 dam Deitatis exemplar. interea secundum diuersas
 fabricas, alios potuisse gigni similes filios. Hinc iã
 liquidò constare arbitror, quid coloris habuerit fri-

uola Serueti excusatio. Deinde iure necne à nobis dictum fuerit, nihil veniæ mereri prodigiosum blasphemiarum eius chaos. Hic quoque notanda est hominis temeritas, quòd de rebus prorsus incognitis non minus superciliosè pronūtiat, quàm si à prima mūdi origine creatus esset temporū omniū censor. Quia Nicæno Concilio audierat præfuisse Athanasium, quibuscūq; potest probris eum flagellat. Dico audisse: nam acta Concilii nunquā ab eo fuisse lecta mox patebit. Adeò quidem nemini veterum parcat, vt omnes dicat fuisse cæcos Sophistas, bestix ministros, mancipia Antichristi, & Satanæ præstigiis fascinosos. Athanasio tamè præcipue ea, quā dixi, causa infestus, fœdam illi maculam inurit, quòd Deum tripartitū statuens, simul iusserit imagines adorari, pag. 703, & aliis locis. Sed vnde illud decretū hausit, cuius nusquam in historiis fit mentio: Inseitiā suam crassius prodit lib. de orbis perditione 1, pag. 399. Nā aptus, & peritus Prophetarū interpres, Christum vt Daniel prædixerat, occisum esse nugatur à Romano duce vere Babylonico, qui Babylonicas statuit ceremonias, matrimoniū interdixit, legales fecit confuratorū regulas, vnguenta consecrationis, Iudaicos ritus, Iudaica & Babylonica sacrificia. Paulo pòst hinc Trinitatis ibidē in Deū blasphemias induxit, & monarchiā Romanā migrare Cōstantinopolim fecit: gloriosus cōfessor. Idola & imagines, vt dixi, sub hoc Syluestro cœperunt ad Helenæ mulieris suggestionem. Audierat in Concilio Nicæno, quod furiosa mulieris Irenes auspiciis, & imperio coactū erat, receptum fuisse, & probatum imaginum cultum. hanc

Irenem audierat Imperatoris fuisse matrem: homo phreneticus nomen aliud, quāuis non multū affine, arripuit. Perinde ergo ac si ab Helena Cōstātini matre profecta imaginum adoratio foret, Athanasium falsa eius criminis inuidia grauat, quod trecētis post mortem eius annis admissum est. En cur bonus iste antiquitatis vindex Clemētis laruā, & similes quifquilias omnibus sanctorum Patrum scriptis opponat. Cæterum omissa hac Serueti vecordia, nunquā cum expedient sui discipuli, quin liquidò demonstrant primæ quatuor propositiones, quas ex eius libris adduximus, sacræ Trinitatis mysterium impiè fuisse ab eo euersum. Nec verò difficile est in coloribus, quos postrema quasi manu appinxit, hoc idem perspicere. Nam si Verbi persona erat homo sicut ipse loquitur, nō fuit Deitati Verbi sua persona, secundum quam à Patre differret. Nunc si Deus est in carne manifestatus, sequitur Patrem fuisse crucifixum: à quo sacrilegio recta fides abhorret. Sophisticis rationibus hīc me pugnare cōqueritur, non Scripturis. Quasi verò mihi ad manū trecenti Scripturæ loci non suppetant ad hoc probandum. Idē valere fingit, Christum fuisse Dei formam, vel in forma Dei. Quasi verò ipsis quoque pueris non pateat, qui Patri conformis dicitur, substantialiter, & distinctè cum Patre conferri. Vnde conficitur Christū in sua Deitate priusquā carnē indueret, quatenus æternus erat Dei Sermo, cōsortem fuisse Paternæ gloriæ. Si vocatus à Paulo esset forma Dei, triūpharet Seruetus, visibilem esse, & corpoream effigiem Dei inuisibilis. Dum verò Paulus Sermonem ipsum carne humana nondū vestitum gloriæ Dei conformat, pro-

sternitur illud deliriū, quòd homo fuerit Verbi persona. Nam Paulus, data opera, contemptum naturæ humanæ habitū cū æterna Deitatis gloria cōparat. Ideóq; exinanitum esse dicit, assumpta hominis figura. Argutè obiicit Seruetus, Si erat in forma Dei, ergo formalis erat distinctio. Imò potius colligitur ex Pauli verbis, quū statuatur formæ paritas, in substantiā, vel hypostasi fuisse distinctionem. Certè substantiā esse oportuit, quæ forma prædita esset. Fabulas esse putat Seruetus, quasi in Deo sint accidentia, vel subiecta. Ego autem hypostaseis, subiecta quorū singulis attribuitur sua proprietas, nō ineptè vocari puto. De accidentibus, litem illi non moueo. Solus enim ipse accidentia in Deo cōminiscitur. Sed ei dolet fucum execrādis suis blasphemii detrahi. Postquā tres hypostaseis lingua confessus est, hypostasin vult esse essentiā, & hoc modo Filius, secundū ipsum, character dicitur Paternæ essentiæ: quia in eo solo subsistit Deus, vt se visibilē præbeat. Nā expressam, inquit, illam effigiem videns, dicor videre Deum, sicut dicerer videre Gabrielem, aquilam videns, in cuius forma ad me veniret. Qualis nunc hypostaseon distinctio: nisi essentiā Dei partiri libeat secundum distributionē, sicut ipse postea nugatur, pa. 121. Distincte fatetur inuocari in Baptismo Patris & Filii nomē, quia realiter differunt Pater Deus, & Filius homo. Quid igitur de Spiritu dicendum, qui ipso teste carnem assumpsit? Nam hoc respectu non cōstabit triplex inuocatio. Et tamen furis me agitari dicit, quia Baptismum dico lusoriè consecrari, nisi rem agnoscimus in Filio. De Christi Deitate mentem

meam non est affecutus. Dico longe aliã esse Deitatem, quã carnis, nẽpe æternæ essentia. Putat phreneticus diuersas me facere Patris & Filii Deitates. Nec motor quòd alicubi Spiritũ perceptibili persona induit, quando & multis locis personam non admittit nisi visibilem, & perceptibile nunc Spiritũ faciens, de extrinseca & aduẽtitia qualitate loquitur. Quintæ propositionis crimen diluere volens, internam se hypostasim confessum esse excusat pag. 704 & 705. Verum nihil illic reperiẽt lectores, nisi quòd Verbũ, lux, persona Christi, prius occulta ratio, deinde manifestus fuerit Sermo, quòd hic fuerit Deitatis modus, quem apparitionis vocat: deinde alius cõmunicationis. Tandem concludit Trinitatis mysterium in hoc Pauli dicto exponi, Deus manifestatus in carne, iustificatus in Spiritu: vel potius mysteriũ duplex essentia Diuinæ nobis exhibitæ. En illa interior substantia quam confessus est, quòd Deus in carne Christi formã suam exhibuerit, & se cõmunicauerit in Spiritus virtute. In summa, qui realiter Patris & Filii hypostasim distingui non patitur, fallaciter in Dei essetia residere prædicit. Hinc quoq; error, in sexta propositione à nobis obiectus, cõuincitur. Sabelliũ enim se plenis buccis spirare quomodo negare audet, qui palã asserit idem esse Sapientiã cũ Spiritu: Annõ etiã hinc colligitur, Spiritũ fuisse erucifixũ: Nam aut Spiritũ à Verbo discernat oportet: aut quòd Iohãnes de Verbo testatur similiter in Spiritũ competet, nempe factum esse carnem, cui annexa est mors & resurrectio. Millies hoc à se dictũ clamat, quòd forma saltem & dispositione differat Spiritus à Filio. Fateor quidẽ, vbi de Spiritus perce-

ptione suo more philosophatur, diuersum modum
 Deitatis ab eo notari. Sed quū nunc duos in vnum
 misceat & confundat, minime eum leuat siquid ali-
 bi in contrariam partem docere visus est. Et nunc si
 seriò de tantis mysteriis ageret, cur ad probandam
 identitatem Sapientiæ & Spiritus arriperet locos il-
 los, vbi non persona in Deo subsistens, sed Spiritus
 donū intelligi debet? Septimæ propositionisquàm
 honesta est excusatio: quòd alium Deum posuerit
 pro alio Deitatis modo. Hoc sibi non minus fuisse
 licitum iactat, quàm mihi dicere aliam Deitatem.
 quod mihi falsò imputat. Nam in meis lucubrati-
 onibus plus centies occurret, quòd vna, & eadem sit
 Deitas. Ante Seruetum nemo ita loquutus est, quòd
 alius esset Deus. & certè non nisi impius sensus elici
 potest. Correctio verò ab eo addita, licet asperam lo-
 quutionem mitiget, peruersum tamen figmentum
 non tollit. Et quid longius disputo, quum suprà Deū
 in tres essentias partitus sit? Adde quòd illud absurdū
 nunquam effugiet, Spiritum sanctum à Christi de-
 mum resurrectione factum esse personam, quia tūc
 ex Christo Deo alius Deus emerfit. Quod etiam ex
 alio loco clarius patet. Nam pagina 184, Spiritum
 alium, & aliud à Filio substantia esse cõtendit, ac rea-
 liter differre eorum substantias. Si substantia essen-
 tiam notat, quàm fœdum in modū discernitur Dei
 maiestas? Tres quæ sequuntur propositiones quū
 inter se affines sint, simul complectar. Christum tra-
 dit Dei Filium esse, quatenus ex Dei substantia geni-
 tus est. Hoc modo negat Seruetus concidere naturæ
 humanæ societate quæ nobis est cū Christo, ex qua

salus nostra pendet. Atqui nihil est clarius. Vnde enim nisi ex communi natura, nobis cū Christo fraternitas? Deitatis positio, inquit Seruetus, horū neutrum tollit. nempe si Deitatem carni nostra vniret, sicuti Scriptura docet manifestatum esse in carne Deum. Atqui non modò naturas duas cōfundit, sed essentiam carnis Christi non minus à nobis separat, quàm procul distat cælum à terra. Sicut per incarnationem, inquit, pagina 275, Verbum effectum est caro, vel creatura: ita per resurrectionem caro desinit creatura esse. Omitto quòd alibi fortiter negat Christum vocari debere creaturā. Hoc tantum dico, Si Verbi substātia, carnis facta est, longè diuersam esse Christi naturam à nostra. Verbum, inquit, de cælo descendens, nunc est Christi caro. Vltrà etiā pagina 147, progreditur, humanam in Christo naturam vnum & idem esse cum diuina. Vbi nunc illa societas quam Seruetus dissolui negat? Et hīc scilicet me hortatur, ne me torqueam. Sicuti ludibundus salutem humani generis prorsus dissipat: sic rui nam hanc quasi ludicram, securè vult à nobis excipi. Itāne, dum rupto fraternæ vnitatis vinculo eripitur nobis Redemptor, vt taciti feramus? Vt friuola sit fatigatio, si vnicum adoptionis nostræ pignus tueri conemur? Frater noster, teste Apostolo, ideo cōsetur Christus, quia excepto peccato, nobis per omnia similis factus est. Exponit Seruetus, quòd omnia nobis similia acceperit. Verum illic de naturæ similitudine differit Apostolus. Et certè, vt nos reconciliaret Filius Dei, in carne eius verè humana, non diuina, terrena non cælesti, mundi peccata expiari o-

portuit, vt in eadem natura offensæ satisfactio constaret. Pretium redemptionis nostræ in carne sua soluit Christus. Si diuina erat, ac cælestis eius caro, quid sibi ista compensatio vellet? Quærit Seruetus, an expertem Deitatis fuisse arbitrer hominis naturam. Facilis responsio est, à Deitate fluere quicquid est in Christi carne viuificum. Sed aliud est vnio, quàm vnitas. Etsi enim carnis naturâ induit Deus, vt vnus esset in Dei & hominis persona Redemptor: nõ protinus sequitur quod Seruetus blatterat, Deificam fuisse vnitatem. Ita soluitur puerilis eius obiectio, quòd caro Christi in sepulchro iacens, sua tamen diuinitate minime priuata fuerit: nempe quia hominẽ semel assumptum nõquam deposuit Deus, neque mors, neque sepulchrum potuit vnitas naturas dirimere. Verùm hac ratione nõ tollitur carum distinctio. Placauit nobis Patrem Christus sua obedientia: in essentia Dei quomodo obedire Deo potuit? Adhæc, quàm absurdũ erit humanis affectibus subiicere Dei substantiam? Nec verò abs re notata hoc loco à nobis fuit repugnantia in verbis Serueti. Ter me mentiri clamat, quia fucosè dixerim simulari ab ipso æternam Christi generationem, quã non credit. Quasi verò non sit hoc vnum ex præcipuis dogmatibus quibus Ecclesiam turbauit, Patrem non esse Deum, nisi matris respectu: nec verè gigni potuisse Sermonem, nisi in vtero. AÆternam igitur matrem fabricet necesse est, vt mendacii me coarguat. Naturas confundi, si ipsamet Christi caro est Deus, nemo est qui non videat. Nunc hypostatitã Verbi vnionem obtendit, quæ carnẽ Deificat.

Quasi verò hypostatica sit vnio, quum è cælo detrahit increatum Verbi corpus, quod in vtero Virginis carnem factum fuerit. Obiicit illud Pauli, Sanguine Dei redemptam fuisse Ecclesiam. Si syncerè fateatur distinctas esse naturas, cur non quod proprium erat vnus, ad alteram transferri agnoscat, vt Christi hominis sanguis dicatur fusus esse, qui idē est Deus in carne manifestatus? Atqui diabolicum illi sophisma est talis idiomatum communicatio. Denique si inter duas naturas distinguit, fateatur æternam fuisse Verbi essentiam: carnis essentiam à tempore coepisse, quum in vtero Virginis creata est. Verum, carnem ex increatis elementis conflatam fingēs, æternitatem illi vendicat. Quid quòd essentiam corporis & animæ cum Verbi & Spiritus vnitate cōfundit, vnā & eandem rem esse asserens, & Christū ab initio fuisse dicens corporis & animæ respectu? Nūc cauillatur hoc fieri Deitatis ratione, quæ est in corpore & anima. Quasi verò si Deitas est ipsum corpus, ambagibus istis locus supersit. Et tamē Seruetū bestialitatis meæ pudet, quia iniuriā fieri Deo ostendo, quum tristitiæ, & mortis doloribus subiicitur. Hæc enim sunt eius verba, quòd Deus Verbum & Spiritum in corpus & animam Christi dispensauerit. Cæterum de æterna & diuina Christi humanitate tam magnificè in speciem loquutus, mox ipsam Verbi essentiam in creaturarum ordinem cogit, exponens Sapientiā Dei vocari, sicuti hoc elogio quicquid eximium est, ornare solent Hebræi, Innumera inquit, nomina apud eos desinunt in \aleph & in ν , accepta eodem sensu. Nec verò aliter postea desinit. Er-

go utcumque queratur iniquè secum agi, nunquam
 se ab hoc laqueo extricabit, quin sancta Christi ma-
 iestas parum honorificè ab eo deiecta fuerit. Supe-
 rioribus concinit duodecima propositio, Christum
 hominè ab initio in propria substàtia fuisse. Quod
 si verum est, mentitur tota Scriptura, ipsum semen
 Abrahamæ, & Filium Davidis appellans. Mentitur A-
 postolus quò ex muliere factum esse dicit, quæ sub
 plenitudinem temporis nata est, ut ex ea nasceretur
 Christus, & hoc modo temporale principium habe-
 ret. Partem illam tamen Seruetus verissimã esse de-
 fendit, quia Iohannes se quod ab initio est, vidisse di-
 cit. Quasi verò ob personæ vnitatem visus non fue-
 rit Deus in homine. Sed quid hoc ad Serueti deliriũ,
 æternam fuisse hominis naturam? Calumniatur ta-
 men nos ex Deo nihil citare, quò nulla secundum
 Scripturas generatio, vel natiuitas Christi nobis cõ-
 stet, nisi ex Adam: deinde ex Abraham & Dauide, eo-
 rumque posteris continua serie originem traxerit.
 Ipse verò in propria persona, & substàtia æternum
 vult fuisse. Caterùm cur de secũda parte tacet, quòd
 duæ sint Christi personæ? Hic illi mira exprimitur
 cõfessio, in Christo esse Deum, qui est tres personæ.
 Cur ergo triplicem Christo personam non impo-
 suit? Annò illa gloriæ eius fuit diminutio, vel muti-
 la substantiæ descriptio, quum ex tribus personis
 vnã illi subtraheret? Pluribus excutienda non est
 absurditatum farrago, quæ sponte lectorum menti-
 bus se ingeret. Deum vocat tres personas, quem ubi-
 que inuisibilem esse dicit, nisi quòd in Verbo corpo-
 rali, & visibili personam duntaxat vnã protulit.

Iam si tres personas sustinuit Christus, Patrē & Spiritum sequetur non minus esse passos, quā Filium Dei. Adhæc, si in Filium competit Christi persona, quomodo cōueniet quod alibi fatetur realiter distinctos esse? Liquere iā arbitror, quā multis modis se implicuerit, dum suos errores contumaciter defendens, ex vna absurditate elabi tētat. Vt excuset quod impiè nugatus est, Verbū fuisse genituræ Christi semen, vnde formata est eius caro, locos suo mōre in sensum alienissimum detorquet, Dicit Esaias, Rora te cæli desuper, & nubes pluant iustitiā, aperiatur terra, & germinet salutem. Quasi hīc Sermo Dei, præparatiuū sui ipsius semen vocetur, ac non potius huc tendat precatio, vt Deus iustitiam & salutem suā per totum mundum diffundat. Alibi Esaias Verbū Dei pluviæ comparat, quæ terram irrigans, eam fecundat: vt scirēt Iudæi, quod de ipsorum redēptione pollicitus erat Deus, minimè fore irritum. Quid hoc ad humanæ in Christo naturæ generationem? Christū Psalmus 70, pluviæ comparat in pratum exectum stillanti, vnde vis germinandi prodeat. De salutarī Christi virtute loquitur, quæ se in totū Ecclesiæ corpus diffūdet. Quā præpostere ergo ad Christi personam restringitur? Et tamen paulo pōst, Dauide, & Esaias testibus cōsensus, victoriam sibi arrogat. Quod in loco Iohannis Verbum accipi iactat pro voce Patris: nugatorium est. Nam testimoniū Christi in carne patefacti Iohannes ab æterno illo Sermone petit, qui, eodē teste, caro factus est. Quod si Sermo est factus caro, perperā Seruetus alium esse nugatur. Cōmentum suum nobis obtrudit ex Dialogo 2. pagi. 266,

Ut penitius intelligas quid sit caro factum, & quatenus ab eo differat quod est carni vnitum, tria sunt tibi in Verbo consideranda, idea, elementum, & lux. Verbum quatenus erat hominis idea, seu persona, & præfiguratio, dicitur caro factum, & quasi in carnem personaliter concessisse. In elementari quoque, seu superelementari seminis substantia Verbū est homo factum: quia eius elemēta sunt corporaliter quodammodo facta carnis elementa: & spiritaliter, animā. Quatenus verò erat Verbum essentia lucis, dicitur carnis materiæ vnitum, vt totum plasma sit vnus homo, & vna Dei caro. Tandem pagina sequente concludit, sicut animæ & Angeli fiunt Spiritus sanctus, manent tamē animæ & Angeli: sic Verbum licet caro fiat, manere tamē in sua natura. Hic me tacēte vident lectores quātopere prauis deliriis oblectatus fuerit hic nebulo, quæ totam fidei puritatem inficerent. Lucem nunc à persona separat, quū plus centies ipsissimam faciat personam. Elemētum nunc in Verbo includit, quum alibi Verbum sit illi pura Deitas. Verūm si singulis insistam, nullus erit finis. Interea nobis peribit simplex pietatis doctrina, quòd Verbum carnem nostram induerit. Conci det etiam illud, Christum naturæ humanæ respectu semen esse Abrahæ. Occurrit Seruetus, ac Dei quoque semen vocari affirmat Malachia 2, & germen Dei, Esaiæ 4. Malachias semen Dei vocat legitimū propagandi generis humani modū. Esaias magnificum fore Domini germen promittit, florēte regni statu. Hinc iudicium fiat, quā m dexter & fidus Scripturæ sit interpret, qui carnem Christi inde colligit

ex Verbi substantia esse genitam. Quòd hìc excusat coaluisse Dei naturam cum homine, vt sine confusione vnitur carni anima, vtinam saltem ita moderatè loquutus foret. Sed ab hoc longè dissentaneum est quod prius ex Apologia citauimus, Quodammo do facta est Verbi in carnem conuersio. Item, quòd Verbum Dei caeleste, nunc in terra sit ipsa Christi caro. Item, quòd Euangelista tradat se manibus palpasse ipsam Verbi substantiam, pagina 122. Et falsò quidem citari Euangelistam dicere supersedeo: quia nunc de confusa mixtione agere mihi sufficit. Decimasexta propositio licet nõ mollierit ferream Serueti frontem, eius tamen flagitium satis aperte detexit. Quum Apostolus homines in eo præfert Angelis, quòd semen Abrahæ assumpsit Christus, minime obscurum est, vel dubium quin assumptam intelligat à Christo hominum naturam. Quid autem Seruetus? Quanquam hominem Christum concedat carne vestitum esse, locum tamen hùc aliter vult exponi, quòd non venerit Christus Angelos liberaturus, sed recepturus ad se homines. Nunc simulat vtranque interpretationem recipere. Atqui veram, & genuinam aperte repudiat. Et nunc rursus quasi collecto animo, præsens verbitempus mihi obiecit, quasi doceat Apostolus quotidie assumi homines. Quasi verò ad solum Abrahæ genus pateat hæc gratia. Quasi etiam sub Christo capite non colligantur Angeli in perfectam gloriam. Nec obstat verbitempus: quia satis tritum est, res ipsas, de quibus habetur Sermo, quasi præsentis in medium statui. Còtextus certe omnem eius rei dubitationem tollit. Si

Spiritus sancti Pater est Deus, abolitas esse personas facile patet. Quòd se metaphoricè loquutū dicit Seruetus, metaphoricus quoque Verbi Pater erit Deus. Siquidem, ipso eodem teste, Spiritus est Pater, sicut Verbi. Quò etiam pertinet quòd dicit pagina 193, de substantia Spiritus non minus quàm Verbi genitū esse Christum. Nam si ideo Filius est Verbū, quia de Verbi semine profuxit, & caro factū esse dicitur, eadem in Spiritum similiter cōpetent. Negat Seruetus pari ratione. Discrimen ergo ipse ostēdat, qui æqualitatem illā, vel similitudinē induxit. Truncari à me suas sententias dicit, quū fidelius referre non potuerim. An cōsentanea sint hæc duo, tres esse in Deo personas, & vnā duntaxat fuisse personā quæ est Angelis cōmunicata, iudicent lectores. Nunc nouū effugium excogitat, Vnā fuisse Dei imaginem, ad quam formata fuerit Adæ caro. Sed si cōferantur eius verba, nemo tā rudis erit quin fucū sibi fieri intelligat. Illic ex professo de imagine Dei disputat: eam in singulari numero à Moyse poni dicit, quia vna sola erat personalis Dei imago, vel facies. Certè & Patris, & Spiritus personā satis aperte, nisi fallor, excludit, negans pluralem numerū valere in voce imaginis, quia nō fuerint plures Deo personæ. Conuictetur vt libuerit, nō faciet tamē vt vlla malæ fidei in me macula hæreat. Sequitur alchimistica corporis Christi cōpositio, dū illud ex tribus increatis elemētis, & terrea materia cōflat. Diximus spem salutis pessum ire, & euanescere redemptionis nostræ fructum, nisi Christi corpus nostro simile fuerit, excepta peccati corruptela. Altera à Serueto exceptio additur, quòd

fuerit Deitatis particeps. Sed quis hoc illi permisit? Filius enim Abrahamæ & Dauidis vocatur secundum carnem, à cuius natura se iungitur Deitas. Adde quod Christi corpus absurdè vocaretur Templum Dei, si pars esset Deitatis ipsius. Quomodo hæc duo conuenient, Deitatem esse partem corporis, & Deum in corpore ipso non secus atque in templo habitare? Memoria quoque repetant lectores quod prius dixi, non esse verum mediatorem, nisi qui & frater sit, & homo eiusdem naturæ socius. Humanitatem Christi, etiã si pura esset creatura, nostræ dissimile fore cõdit, quod à Deitate illustretur. Quasi verò de qualitate inter nos vertatur quæstio, ac non potius de substantia. Fatemur in carne illa, quæ verè humana erat, & ex Dauide habebat originem, conspicuam fuisse vnigeniti Filii Dei gloriam. Imò carnem ipsam quæ terrestris esset ac mortalis, viuificam tamen fuisse & cælestis vitæ cibum. sed hæc ad qualitatem referri debent: interim ipsa carnis natura nobis cõsideranda est. Quæritur enim in qua carne cõpleta fuerit peccati expiatio. Respondet Paulus, Damnatum in carne fuisse peccatum. Non fabricat cælestem carnem quæ ex elementis increatis defluerit, sed dum in vitio & corruptela externam illi similitudinem cum nostra tribuit, substantiam proculdubio, & puram naturam fuisse eandem significat. Quæritur rursus in qua carne futuræ resurrectionis primitias inueniat fides. Qui diuersam à nostra imaginatur, Christum à membris suis separans, terrenis & caducis hominibus beatæ spei ianuam præcludit. Quid enim id nos iuuabit, corpus ex Dei substantia & increatis elementis cõflatum, resurrexisse? Né;

pe naturæ diuersitas, societatem illam cuius fiducia nitimur, abscindet. Iam quòd teste Paulo Christus est filius Dauidis secundum carnem, & ex Iudæis secundum carnem descendit, nõ admittit fictitiam illam mixturam, vt particula carnis credatur esse ab homine, nõ tota caro in solidum. Negat Seruetus id quadrare in carnem, nisi quatenus à Deitate secernitur. Sed clariora sunt Pauli verba, quàm vt longiori disceptatione opus sit. Interim calumniæ me accusat quia dixerim, Christo non nisi quartam humanæ naturæ partem hoc modo fieri à matre residuam. Falsarium quoque & mendacem me vocat, quia carnem ab eo dixerim in Deitate conueni. Sed quomodo secum agit, nisi ex verborum suorum formula? sic autem Epistola 6, loquitur, Quòd caro in Verbum transformata fuerit. De tribus elementis, locus est minimè obscurus Dial. 2. de Trinit. pag. 250, quòd ab ipso Mariæ utero sumpta sit materia carnis Christi terrea, eadem tamen caro elementa Verbi habuerit verè diuina, & Dei substantiam. Si de proportionem rixatur mihi certè in statera appendere propositum non fuit, quanta à matre portio sumpta, foret. Quod voluit Seruetus suis verbis abundè testatum fecit, tribus partibus à nobis differre Christum, quia ex tribus elementis increatis compositum eius corpus, non modò verè diuinum sit, cæleste ac æternum, sed ritè censeatur Deus, nõ minus quàm Spiritus & Christus ipse, dial. 1. pa. 231. Iam quum nihil absurdius fingi possit illo commento, rore cælesti transformata in Deum esse humanam materiam, nouus tamen color à Serueto inducitur, transformari quod alia gloria illustratur, quàm prius. Quasi verò formæ muta

tio materiae trãfformatio dici queat. Cæterùm irascitur Seruetus, quia Christi gloriã voco qualitã, quã lux fuerit substãtialis. Quasi verò magicũ eius deliriũ pro cõfesso valere inter nos debeat, quòd ex æterna Dei substãtia formata sit Christi caro, ac nõ potior sit piis omnibus Scripturæ autoritas, quæ Christi carnem testatur, quum prius mortalis esset, & terrenæ vitæ miseris obnoxia, beata immortalitate donatam esse. Respondeat mihi Seruetus, Nihilne Christi carni contulerit resurrectio? Quicquid autem respondeat ipse, norunt fideles, ex quo in cælestem gloriã recepta est, longe diuersis, quàm prius, dotibus fuisse ornatam. Quum dixisset ex Spiritu Dei, & humana anima constitisse in Christo vnam substantialem animam, & carnem eius ex Dei substantia esse, quæ existentiam æternã habet, excusandi, vel potius tergiuersandi causa, Pauli dictum obicit, Qui adhæret Domino, vnum Spiritum cum eo effici. Quasi verò talem mixtionem hominum cum Deo imaginatus sit Paulus, qua homo ipse, Deus fieri incipiat, vt dici possit æterna eius essentia.

Cæterùm vt me temerarium censorẽ probet, ad causam lõgè diuersam transit. Damnata enim à me fuisse Astrologiam conqueritur. Veritus est scilicet ne lectores nescirët omnibus Satanæ fascinis ipsum fuisse dementatum, nisi Astrologiæ iudiciariæ patronum se profiteretur. Astrologiã, vt par erat, suis ornaui laudibus: magicam verò illam superstitionem, quæ rerum omnium euentus ex astrorum positu diuinans, fato alligat hominum vitam, & Deo mundi gubernationem eripit, an ego probare po-

tui: Iam me Simonem magum appellet Seruetus, quem fictitius ille Clemens hoc præsertim nomine infamat, quia astrorum dominio hominum vitam subiiceret. Sed eius vecordiam modis omnibus ita Dominus mirabili consilio traduxit, vt insignes reprobis hominis notas ferens, neminem nisi volentē deciperet. Atqui hic vêtosus Gorgias rerū omnium scientiā sibi vendicans, nos ad Grāmaticam relegat, quia non fingimus in Dei substantiā conuerti quicquid Deo vel per gratiā, vel alio modo vnitur. Quòd tam absurdè, & impiè effutiuerat, Christū hominē non esse creaturam, nec posse ita vocari, ne vno quidem verbo purgare dignatur. Quasi Filius Davidis nō sit creatura: quasi qui factus dicitur, & creatus ex homine, non etiam creatura vocetur. Quanquā hoc ego non minus stupori, quā superbiæ tribuo. In vna tamē voce tandē latebras quærirat: quia de meo adiecerim, Quatenus homo est. Atqui plus ipse suis verbis expresserat, quā retulerā, Hominē ipsum crucifixum demonstrans, nequis ad Sermonē id referret. Quòd si creatura non fuit homo ille pro nobis crucifixus, quomodo stabit illud, Nos carnē esse ex eius carne? Eadem dementia præcise verum esse respondet, quod continet vicesima tertia propositio, vnam & eandem Deitatē, quæ est in Patre, Filio immediatè & corporaliter fuisse communicatā. Quid autem sibi vult immediata & corporalis ista cōmunicatio, nisi quòd Filius carnem induens, momento Deus esse incepit: Ridet hanc cōsequentiam Seruetus, quia sit ab angulo ad parietē. Ipse autem qui se versutum dialecticum esse iactat, verset se in omnes

modos: non tamen hunc laqueum expediet quo irretitus tenetur. Neque enim negat quin Christi natiuitas secundum corpus, temporale habuerit principium. Hoc cōcesso, si toti Filio immediatē cōmunicata fuit Deitas, quū carne vestitus homo in mundū prodiit, quamnam erit superioris tēporis ratio? Quibus hīc argutiis opus est, vt tam crassa impietas pateat: Quòd si eadem nobis Deitas cōmunicatur, totidem esse deos conueniet, quot erunt in mundo fideles. Per gratiam, inquit Seruetus. Quid hoc ad me, si essentialiter deos facit fides, quos Scriptura suæ infirmitatis sensu vbique humiliat? Comparationes nimis liberas vsurpat, qui redemptionis nostræ mysterium cū donis inferioribus confundens, ad particulas Quodāmodo, & Ferè, confugit. Dixerat Spiritū sanctum descēdīssē in Apostolos, sicuti in vterū Virginis descendit Sermo, vt carnē indueret. Videmus quā deformiter res longē diuersas permisceat. Quid enim simile inter arcanā Verbi cum carne vniōnē, & Spiritus donum, quo imbuti Apostoli fuerunt? An Spiritus tunc vel carne circumdatus est, vel humanam naturā induit, vel coaluit in vnam cū hominibus personam, vt esset Petrus & Iohannes? Seruetus satis est dicere quāndā esse similitudinem: & dū à me coarguitur, me vocare Magum phantasma.

Vicesimaquinta propositio planè cōtinet quod dixi, nullam fuisse hypostasin feminis, si tantum reluctia erat ac idea futuri Christi. Garrit quidē Seruetus hypostaticè in Deo fuisse quā imaginatur ideā. Sed quum futuræ rei hypostasin exprimat, videmus cum voces sibi incognitas temere in aerem effuare.

Nimia etiã eius improbitas in eo se prodit, quòd veterum suffragiis abutitur, quasi quicquã habeat cum ipsorũ doctrina consentaneũ. Mètiri me dicit, quia negè Verbum ab ipso agnosci, rem quæ intus apud Deũ subsistat. Et tamè nihil magis frequenter occurrit in eius scriptis, quàm diabolicas esse præstigias, si quis rem inuisibilè in Verbi nomine concipiat. Iã si res fuit Verbũ, cur de reali distinctione tã odiosè rixatur? & cur in suis responsis quasi ex diametro, rem subinde personæ opponit: I.ogè adhuc impudētius simulat, se duas in Verbo & Spiritu semper fuisse hypostascs sentire. Hoc fascino putavit ereptam esse vel mentè, vel memoriã lectoribus, vt quod paulo antè dixerat, extinctũ nũc iaceret. Nec verò immerito cõquestus sum tolli ab ipso Sermonis substantiã, quũ simpliciter definit nõnisi lucè fuisse. Ne ratione destitui putetur, defensiones affert prorsus contrarias, quòd lux fuerit, non Sermonis, sed Christi: & quòd lux sit Dei substãtia. Atqui si verè Dei lucè fuisse agnoscit, nõ est quod me falsi in simulet, quasi Sermonè dolosè pro Christo supposuerim. Huc etiã accedit quòd diserte eius mentè explicui, ad futurũ Christum referès quod de luce vel idea balbutit. De luce Dei æquè futile est cauillum: quia certè interior hypostasis à visibili splendore longè distat. Ex vicissimosecundo articulo facilè se explicat. Malos interpretes hic quoque iterum esse affirmat, qui personam à figura separant: idque fieri contra vim vocabuli dicit, quia nulla sit persona nisi visibilis. Et tamen quòd Spiritus personam induxit non visibilem, id tacitus deuorat. Interim nihil in suis verbis

diffidii se videre fingit. Scilicet tam crassam absurditatem putauit sub vnus conuitii latebra se texisse, dum me accusatorem criminalem vocat. Iam quum in mundi creatione Spiritus tantum vmbra fuisse dixisset, dum requiro vbinam ergo fuerit hypostasis: nugari me respondet. Miramur hunc hominem tantum negotii exhibuisse mundo, qui tam secure nodis omnibus se expediat? Quod habet propositi vicesima septima, res omnes fuisse in Deo ante mundi creationem eo ordine quo nunc sunt, & primum omnium Christum: ad verbum fideliter retulimus, vt ne ipse quidem additam fuisse syllabam negare audeat. Tantum causatur, me alia verba quae sequuntur non fuisse simul complexum. quasi verò perfidia sit crimen, vt iacet, quicquam ex eius sermone omittere. Christum, fateor, solum vocat figuram substantiae Dei: hoc nihilominus interim teneo, res omnes cum ipso semper apud Deum fuisse: vt eadem luto tribuatur aeternitas quae in Christum competit. Alterum etiam velit nolit, extorqueo, personam nihil aliud fore quam meram imaginationem: quia personaliter vel pro ideae ratione non minus hodierna nebula, quam Christus in Deo fuit. De secundo membro quid dicam, Quod Deus Filium sibi corporalem discernens, visibilem se in Verbo exhibuerit? Si in nudo decreto sita fuit Verbi essentia, quia Deus hominem creare statuerat, non alia erit Christi Deitas quam aeterna creationis futurae conceptio. Execranda est blasphemia quam continet vigesima octaua propositio, Spiritu nouo non ante praeditum fuisse Christum quam a mortuis resurgeret, Eam ludicra solu-

rione abolet Seruetus quòd nouus Spiritus dicatur
 ob nouam gloriam. Interea sua conuitia crepat, me
 delirum esse & mendacè. Adde quòd nihil eum pu-
 det ex 7. Iohānis testimonium illud adducere, Nō-
 dum fuisse tunc Spiritum sanctum, quia nondū glo-
 rificatus erat Iesus. Quid: an illic Euangelista Chri-
 stum nouo Spiritu donādum esse prædicat, ac non
 potius hoc nominatum refert ad fideles; Christum
 de Spiritu sancto loquutum esse testatur, nō quem
 expectaret ipse à Patre, imò quem accepturi erant
 in eū credētes. Quanquā hoc longè absurdus, quòd
 Christus adhuc mortalis totam Dei gloriam, ac po-
 tentiam non obtinuerit. Quomodo enim transfusa
 erat in ipsum Verbi & Spiritus gloria: Quomodo
 in Deitate conuersa erat caro, si gloriam qua ad tem-
 pus caruit, quasi precario resurgens demum adeptus
 est: Nec verò de manifestatione hic agitur: quū teste
 Serueto, spirata fuerit in Christum ex integro Dei-
 tas. Porrò quo sensu nouum Spiritum appellet ope-
 ræpretium est ex eius verbis intelligere, Dialogo 2.
 pag. 273. Spiritum Christi qui Deus erat in Resur-
 rectione fuisse innouatū, quia ex Diuino & humano
 spiritu antè erat vnus Spiritus: nunc autem ob no-
 uam incorruptibilis halitus creaturam quam in se
 substantialiter cōtinet, nouum dici. Expendant pri-
 mum lectores, quale portentum Seruetus parturiat,
 quū Spiritum vnū qui Deus est, nobis ex Dei essen-
 tia & humano halitu mixtū fingit. Deinde obseruet
 absorptam doceri Christi animam à Deitate Spiritus.
 Postremò creatam fuisse quandam Deitatē, qua
 factū est vt humana anima in Dei essentiā trāsierit.

Hæc omnia suo more transfilit Seruetus. quinetiam
 ferociter mihi succēset, quia Dei gratiam, sicuti in-
 fusa est humanæ Christi naturæ, nobis credam in-
 fundi. Nec eo contentus magicas esse illusiones ad-
 iicit. Itâne vt Deus Spiritus sui donis ornare neque-
 at fideles quin substantialiter deos faciat? Vbi ergo
 erit illud, Diuisiones quidem esse donorū, Spiritum
 verò vnum esse: 1. Corinth. 12. Spiritum quidem
 suum effundere dicitur Deus super homines: sed ne
 eius substantiam Seruetico modo nobis vniri ima-
 ginemur, id fieri docet Paulus quum vnicuique di-
 stribuitur gratia secundum mensuram donationis
 Christi, Ephe. 4. Restat vt magicis præstigiis illusū
 fuisse Paulum dicat Seruetus, eūque Simonis di-
 scipulis mecum annumeret. Contra tamen obiicit,
 nos cōsortes esse Diuinæ naturæ: nempe dum exē-
 pti carnis nostræ corruptelis trāssformamur in Dei
 gloriam. Sed hoc minime obstat quo minus libera-
 liter suas diuitias in nos explicet Deus, vt tamē nos
 secum deos essentialiter nō faciat. Obiicit rursum,
 nos templum esse Dei, quia Spiritus eius habitat in
 nobis. quasi non potius inde liceat inferre, nō vnam
 esse naturæ nostræ essentiam cum Deo, si domiciliū
 sibi in nobis, eligit. Ipsissima est Deitas, secundum
 Seruetum, quicquid in Christo fuit Spiritus. quasi
 non dicatur vnctus inter suos participes. Nec me la-
 tet Serueto nō esse absurdū, si dicatur Spiritus in a-
 nimas nostras influere, vt nos substācialiter deficiet:
 sed ipsū nomē vnctionis satis declarat irrigari nos
 diuinitus, vt qui natura sicci sumus & steriles, suga-
 mus ab arcana Spiritus virtute precarium vigorē.

Ab eo delirio pēdet quod 29. cap. annotauimus. Fingit Seruetus partes & partitiones esse in Dei substantia, vt in partitione Spiritus cuiusq; portio sit Deus. Vnde hoc illi figmentū : Nēpe quia hoc modo pro multiplici & varia donorū distributione, Spiritus essentiam partitur. Atqui longè aliter Scriptura, quæ Deum ita beneficum esse definit, vt Spiritus sui dona effundens integer maneat. Quia hanc carnificis Serueti sectionem, vel vt magis propriè loquar, laniationem nō admitto, criminatur Deum à me in angulo recludi. Quasi verò nō omnia Dominus & virtute, & essentia sua implere possit, vt tamen se creaturis in hypostaticā vnionem nō misceat. Nihil in celo est, vel in terra, quod nō sua præsentia, arcanoque inf luxu vegetet Dei Spiritus. Nūc mihi respondeāt Serueti discipuli, Spiritūmne in seipso indiuisibilem esse concedant. Si nulla est in ipso diuisio, sequetur, Spiritum pietatis & sapientiæ habitare in lignis & lapidibus. En quos fructus proferat fictitia illa Deitas, quam inducere coactus est Seruetus, ne distinctionem inter Spiritum sanctū & eius dona admitteret. Eiusdē rationis est, quòd accidētia in Deū conferre non dubitauit. Tantum erroris portentū vnouerbulo obtegit, quòd intelligat entia omnia in Deo sustineri. scilicet, vt Deus infusa Spiritus sui virtute viuificet, ac sustineat quæ semel creauit, necesse habebit caducæ mutationi se subicere. Iā vt sacrilegam illam ac detestandā vocē excuset, coater nos & cōsubstantiales Deo esse fidelium spiritus, nullo profectu hyperbolica elogia coaceruat, Quòd participes sint Diuinæ naturæ. In illis sit substantia

Spiritus æterni, & eorum sedes ab æterno parata. Qualis sit illa Diuinæ naturæ participatio, nuper attigi: peruersum quoque de æterna substantia delirium sæpius refutatum est. Quid autem magis ridiculum quàm æternos probare, quibus gratuitū regnum parauit Deus antequàm nascerentur? Consubstantiales Deo sunt animæ regenitæ. Ergo nec per gratiam illis confertur quicquid habent lucis & iustitiæ, sed naturaliter illis inest: nec vero sperandum est vt olim Deus sua in illis dona gratuito coronet, nisi in seipsum liberalis esse velit. Iam & vita æterna donum simul & præmium esse desinet. Quid enim accederet æternæ Dei essentiæ? Caterū quia vna illa vox Dei, Ego sum, Ego sum, & nemo præter me: satis ostendit quàm impiè ad creaturas trāsferatur æterna eius essentia, & æternitas diuina: pluribus verbis supersedeo. Nihilo excusabilius est, quòd postquàm in Dei solium Seruetus pios spiritus euexit, in extinctionē mox & interitum præcipitat. Cælestem & increatum Spiritum, Deo cōsubstantialē, & qui nos deificat, apertè dicit extingui. Tenendum memoria est quod alibi garrit, substācialiter nos ex Deo gigni, nec aliter in nos transfundi Deitatem, quàm homo in Christi persona, in Deū assumptus est: vt verè sit hypostatica in nobis Diuinæ & humanæ naturæ vnio. Massam hanc ex Deo & homine conflatam, quocunque tandem nomine vocetur, ad interitū damnare, quid aliud est quàm Deū facere corruptibilem: Formā hanc loquēdi ex Paulo sumptam esse defendit, qui Spiritum extingui non vtarēt, nisi esset extinguiibilis. Quasi verò imbutus es

set Paulus Serueticis cōmentis de spiritali spiritus
 cum anima mixtione. Quo sensu moneat Paulus
 Thessalonicēses ne Spiritū extingāt, nec mihi diffi-
 cile est dicere, nec apud sobrios anxia expositione
 indiget. Postquā enim de Prophetiis non spernendis
 præceptū dedit, cōtinuo pōst, quo sibi magis solícite
 caueāt, terrendi causa subiicit, tali contēptu Spiritū
 extingui, quaten⁹ scilicet in suis donis refulget. Itaq;
 ad refellendā Serueti vesaniā, nihil hoc Pauli dicto
 aptius citari poterat: quia Spiritus extinctio, ab eius
 donis essentiam manifestè discernit. In capite tri-
 cesimo longius prouectus est, Deitatē humanæ ani-
 mæ statim à creatione attribuēs. Nunc de noua per
 Christi gratiam regeneratione non agitur, sed de cō-
 muni hominum natura. In situm ergo fuisse primo
 homini Deitatis Spiritum Seruetus contendit: &
 quia non assentior, me in scholam Simonis magi
 ablegat. Diuinis præditam fuisse dotibus Adæ ani-
 mam, apud omnes pios in confesso est. Nec verò in
 tanta excellentia celebranda, à Deitatis nomine ab-
 horreo: sicuti etiam Scriptura ad imaginem Dei for-
 matum fuisse hominē docens, in sculptas eius menti
 Diuinæ gloriæ notas fuisse intelligit. Verùm lógè
 aliò rapitur Seruetus. Promethei fabulam nobis re-
 nouans, particulam auræ cælestis nobis vult esse in-
 sitam. Nam, eo teste, ingenita est nobis essentialis
 Deitas: quam etsi fatetur ex parte deletam esse, par-
 tem tamen aliquam adhuc saluam restare asserit.
 Hoc si verum est, sequetur omnibus carnis vitiis Dei
 essentiā inuolui. Errare & labi omnibus nobis com-
 mune est. Deus ergo ignoratiæ obnoxius erit. Quot-

quot peruersi affectus in animam hominis compe-
tunt, totidem corruptelis subiicietur Deus. Denique
crassior est huius delirii absurditas, quàm vt longius
insistere necesse sit. Quia dixeram neque à Prophe-
tis, neque Apostolis, neque Martyribus quicquam
fuisse tale cogitatum, Seruetus doctores mihi oppo-
nit. Vnum saltem proferat. Ex quibusdam Tertul-
liani & Irenæi locis fucum supra facere tētavit. Sed
quàm euanida fuerit species, lecto:ibus constare ar-
bitror. In citandis Scripturæ locis, suo more plus-
quam prodigus est. Spirauit Deus viuente animam
in Adam. Quid? an vt suam in eum Deitatem trās-
funderet? Tempus vindictæ suæ, Genesis 6, præfigit,
ne perpetuò rixetur Spiritus suus cum homine. vbi
Deitatis infusio? Iob 33 capite, fatetur se creatū esse
Dei Spiritu, & viuificatū eius spiraculo. Atqui Deus
nos creando non protinus tamen suam substātiā
nobis instillat. Eiusdē libri 34 capite, dicit Eliu si-
mulac Deo visum fuerit, retractū ab homine in spi-
ritum, & flatum. His verbis potius notatur fragilis
creatura, quàm essentialis Deitas. Adducit Seruetus
ex Psalmo 103, Emitte Spiritum tuum, & creabun-
tur, & renouabis faciem terræ. Hoc quū ad quoduis
animātium genus pertineat, canibus & asinis com-
munis nobiscū Deitas erit. Atqui Seruetus sermo-
nem de halitu Diuino instituerat, quo discernitur
homo à brutis pecudibus. Ecclesiastes 12 capite, Spi-
ritum hominis in morte ad Deū redire testatur, qui
dedit illum. Atqui longè aliud est spiritum dari à
Deo, quàm substantialiter ipsum infundi. Iesaiæ 42,
Deus Spiritum suum Messix promittit, vt iudiciū

Gentibus proferat. Peculiarē gratiam qua ornādus erat Christus, Seruetus ad totū humanū genus trahit, quasi à vulgari carnis sensu, Spiritus Christi nihil differat. Eiusdem Prophetæ cap. 57, pronuntiat Deus Spiritū à se egredi, & se flatus creare: verū vbi probauerit Seruetus Deum esse authorē, an simul euincet, ex eius substātia particulam in singulos homines transfundi: Quorsum his testimonii annumeret primum Iohānis caput, non video: nisi quòd illic lux Dei illuminare dicitur homines: & qui per fidem cooptantur in Dei filios, dicuntur ex Deo geniti. Sed inde Seruetica Deitas elici minimè potest: quū potius infusam gratiæ qualitatem Euangelista commendat. Adde quòd prius membrum ad communem naturam, alterū ad spiritualē regenerationis gratiā spectat. Nec etiā Serueti delirio suffragatur quod dicit Paulus Actorū 17, Nos in Deo esse, viuere & moueri: quo nihil aliud significat, quàm ab vnico illo fonte nos haurire quicquid habemus vigoris, vt vita nostra per se fluida & vmbra, in ipso subsistat. Catalogum locorum quem texerat Seruetus, breuiter perstringere libuit, vt rursus agnoscerent lectores, quàm reuerenter Scripturam tractare soleat. Quòd homines truncos & saxa à me fieri criminatur, quia illis Deitatem non tribuam, aliquid haberet coloris, si inter Deum & truncos nihil esset medium. Et tamen vt maximè valeat Serueti apotheosis, non eximentur homines ab hoc probro, quando Deum in lapide, lapidem esse dicit Epistola 6, pagina 589. Item in Apologia, pagina 698, Deum quoties monti, aut lapidi, aut plu-

uia præcipit, Deitati præcipere quæ in singulis est.
 Porro, quû in sanctos Patres qui sub Lege vixerunt,
 palàm & sine verecûdia semper contumeliosus fue-
 rit: mirum est cur nunc serò inuidiam fugere inci-
 piat. Negauit Spiritum regenerationis sanctum sub
 Lege datû fuisse: atque hoc continet x x x i propo-
 sitio. Nunc me insimulat mendacii, quasi fraude ad
 Prophetas extendã, quod non nisi de vulgo dixerat.
 Huius tam putidi cauilli prompta est refutatio, quû
 illic, ne eximiis quidẽ & singularis præstantiæ viris
 parcat: imò quum non alios enumeret, nisi qui sin-
 gulari aliqua dote excelluerunt. Quòd autẽ nûc cau-
 satur se Prophetis plus dedisse quàm vulgari populo:
 id quidem interdum ab eo factum esse non inficior.
 Quântulum tamen illud sit, & quàm ieiunum, breui-
 ter monendi sunt lectores. Iudæos, inquit, intelligo,
 maxime vulgus ipsum: nã Prophetas stabilius fides
 hæc iustificabat. Qualis autem fides? Quia sub um-
 bra quadam, inquit, datum illis fuit Christum vi-
 dere, & ad eum suspirare præ onere Legis: quanuis
 non ideo essent à Legis iugo exempti. Sed quid eum
 iuuat, hoc in transcurso semel aut bis attigisse,
 quando ex professo, de veteri populo differens, in v-
 num omnes fasciculum complicat? Libro enim de
 Legis & Euangelii differentiis, Iudæos omnes pro-
 nuntiat Deo seruisse in vetustate literæ, & non in no-
 uitate Spiritus. Ac nequis dubitet hoc patere ad se-
 lectissimos vsque Prophetas, sic ad verbû loquitur,
 pag. 115, Nunquam aliquis fuit Iudæorum electus
 aut prædestinatus ea electione qua nos prædestina-
 uit Deus, vt liberam adoptionem filiorum recipere-

mus. Et Moses & Prophetæ sub Lege erant, non sub gratia, Legis seruituti obnoxii. Postquam autem Propheticas visiones recensuit, concludit tamen nec libertate vera fuisse donatos, nec veram adorationem apud ipsos viguisse. Præterquam quod faciliè perspicunt lectores, Seruetum quocunque ferebat impetus, in contrarias sententias dilapsus esse: minimè obscura est in sanctos patres contumelia, quam frustra eluere tentauit. Tandem ubi ad clausulam disputationis ventum est, pag. 321, Iudæos negat pariter nobiscum hæredes fore, quia ancillæ sint filii. Eadem pagina nouam disputationem exordiens, nullam veteri populo iustitiam concedit, nisi mundanam. atque in hoc ordine, non modò Prophetas cõplectitur, sed nominatim producit in mediũ: quòd licet Spiritus sanctus per eos loquutus sit, suis tamen gestis carnale quid, vel animale sapiebant. Subiicit deinde, quanquã fidem habuerint, fuisse tamen carnales: quia fides ipsa, mundana erat, pag. 324. Quid? an illic quoq; se de facie plebis agere dicet: Imò in illam faciem ab eo protruditur Abraham, Quanquã prophetico Spiritu, inquit, sub vmbra quadam & ænigmate viderit Christum, cælestem futuram vitam, & æternitatem in eo crediderit: non tamen fuit in eo tunc regeneritus: temporalia tunc exposcebat. Atque ita non obstante futurorum spe, dicitur ipsius tunc iustitia fuisse carnalis, sicut acta alia carnalia. Abraham credidit verbo Dei in promissione veteri & carnali: nos credimus verbo Dei in Evangelio nouo & spiritali promissiones omnes complente. Dicitur fides eadem, vt figura idem est cum

figurato. Hic attendāt filii Dei quā honorificè tra-
 ctetur summus Ecclesiæ Pater, adeoque dux & ante-
 signanus fidei nostræ. Conceditur quidē ei quædam
 ænigmatica Christi visio: sed ita vt in mūdo subsi-
 steret, ac exposceret temporalia, vt terrenā hæredi-
 tatem sua fide apprehenderet. Quid hoc est: tota A-
 brahæ vita clamat, eum in cælestis vitæ meditatio-
 ne assiduum ac totum fuisse: eum Seruetus sic in
 terram deiicit quasi nunquam illi spiritualis pro-
 missio data foret. Ac ne longior sim, Christi gratia
 regenitum fuisse negat: quod si verum est, à regno
 Dei abdicatur. Verū quando Christus non alia
 lege fideles admittit in regnum cælorum, nisi vt
 cum Abraham, Isaac, & Iacob recumbant: vide-
 mus vt Seruetus ab hoc consortio discedens, sibi ia-
 nuam cælorum præcluserit. Tandem pagina 326,
 disertè Abrahæ mentionem faciens, ipsum & eius
 posteros, appellat viros sanguinis, vindictæ avidos,
 qui pro inimicis non orabant. Eò tamen vsque non
 fueram progressus in mea censura: sed tantum ob-
 ieceram Serueto, fieri iniuriam sanctis Patribus,
 quos Spiritu regenerationis priuauerat. Vnde ap-
 paret, nullam habuisse verecundiæ guttam, qui tam
 proteruè conuitiando, crimen à se depellit. Cæte-
 rum vt de promiscua turba loquutum esse demus:
 quomodo se Deo iniurium fuisse negabit, qui iusti-
 tiā Legis carnalem tantum fuisse fingit, quæ nec pa-
 radisum aperiret mortuis, nec in regnum cælorum
 viuos induceret? Legem vniuerso populo datam fu-
 isse scimus, eius finem & animam Christum fuisse
 Paulus testatur. Obstrepit contra Seruetus, nullum

illis spiritualis vitæ datū esse gustum. En cū Deus
populum illum segregauerit, vt facer ac sanctus ef-
fer: en cur tot splendidis elogiis ipsum dignetur, ac
præsertim cui regale sacerdotium ipsum appellet.

Eadem in propositione xxxi apparet ingenu-
itas: adoratos à Sanctis scripserat fuisse Angelos.
tam fœdum sacrilegium nouo integumentis inuol-
uit, quòd adorati fuerint Angeli & Deus ipse. Quid
hoc rei est: quum Lex cultū vni Deo in solidum vè-
dicet, an Serueto licebit socios illi Angelos adiungi-
gere? Non potuit Abraham, ex vera pietatis regula
rite Deum colere, nisi solum coleret. Qui deinde sè-
quuti sunt fideles, clario Legis edicto prohibebatur
ne vel Angelos, vel alias vllas creaturas cum Deo
miscerent: Seruetus sibi credi vult, non peccasse qui
promiscuum Deo & Angelis cultum tribuerent.
Nihil tolerabilius est illud alterum, Angelos fuisse
veteris Ecclesiæ deos. Quasi verò non toto affectu
cordis respexerint ad vnicum cæli & terræ opifi-
cem, cumque externa oris cōfessione celebrauerint.
Quòd Angelos vocatos sic fuisse iactat, stultum est.
Fateor equidem, ad eos non secus ac terrenos iudices
transferri nomē Eloim: sed ita vt sola Dei maiestas,
illis in ordinem suum redactis, emineat. Denique
sibi ipse Seruetus tergiuersandi ansam præcidit, dū
pag. 316 scribit, sub Lege solam fuisse veræ adora-
tionis vmbra: quasi nulla in sanctis Patribus vi-
guerit pietas. Propositio xxxiii luculentum
Serueticæ impudentiæ specimen est. Disertis verbis
scripserat, piorum spiritus quum substantialem ha-
beāt æterni Spiritus portionem, suam æternitatem

habere. Sequitur paulo pòst, Quū æterna fuerit cælestis ciuitas, æternos quoque oportuisse eius esse ciues. Nunc sycophantæ probro à tam certæ reprehensionis iure me depellit Seruetus. Quòd ad creationem nunc restringere tentat, putidum est: quum in Christi æternitate fundatam fuisse dicat existentiam illam: & nullo discrimine interposito, Angelos ab initio, in eadem Dei gloria fuisse, paulo pòst vno contextu subiiciat. Quàm impiè Deitatis substantiam includat in omnibus creaturis, iam supra exposuimus. Quoniam hic error propositione xxxiiii reprehensus à nobis fuerat, Seruetus idem esse respondet, sustineri creaturas Dei præsentia & potentia: deinde substantialem Deitatem illis inesse. Quasi verò virtutem suam exercere nequeat Deus, quin substantiam suam in brutas quoque creaturas, sensúque carentes, transfundat: vt non minus, suo modo, lapis quispiam Deus sit, quàm Christus ipse. Non enim alio modo ab ære vel plūbo, vel aliis metalis discernitur, nisi quòd primum in se cōtinet Deitatis exemplar. Et illa scilicet fuit præclara eius confessio, non solum Dei Deitatem in asseribus calcari, sed hypostaticè dæmonibus esse vnitam. Nunc quàm improbè in contrariã partem retorqueat, vix conqueri audeo, ita me attonitū reddit perdita eius impudètia. Præter cōfessum Iudicum, cōplures aderant idonei testes literati, & cordati viri, quum ego frænare eius vecordiam cupiès, pauimentum calcaui: tum ex eo sciscitatus sum, annon plusquam absurdum esset Deitatem ita calcari hominū pedibus: nunc quasi testibus destituar, mo-

tu pedis indicasse me calumniatur, pedem meum in Deo non moueri. Adde quòd ipsa absurditas satis, supérque eius mendaciũ refellit. Propositio tricesima quinta ipsum Manichæum esse cõuincit. Animam enim nobis fabricat ex Dei substãtia: imò nomen Traducis, quod in veteri Ecclesia tãtopere infame fuisse scimus, data opera opposuit, necui ambiguus esset cum Manichæis consensus. Quare vt me esse mentitum lectoribus persuadeat, abradi ex eius libris necesse est, quæ me fideliter retulisse, ne ipse quidem negare audet. Nunc vt tantum sacrilegium quodam velut tectorio oblinat, se alibi tradere dicit animas esse creatas. Quid autem mea refert, si secum ipse in hoc capite, vt in aliis, turpiter pugnet: Fateor certe, ad eò nihil corũ quæ temerè effutiuit, constanter vbique, & æquabili doctrina ab ipso asserti, vt maiorem partem quasi sui oblitus alibi euertat. Fixũ tamen illud manet, ex Dei traduce ortas esse animas, ideòque substãtialẽ Deitatem in se cõtinere: quod me tacẽte, piis omnib⁹ detestabile fore scio. Nunc accedat propositio tricesima sexta, in cuius excusatione non multũ laborat Seruetus: quia si dii sumus facti ob animæ dona, sequatur animam coire in vnũ cum Spiritu Dei, sicuti ossa, caro, nerui, & anima in vnã hominis substãtiam cocunt. Primum quæro, quid per animæ dona intelligat. Magorum enim præstigias suprà vocauit quicquid de infusis Spiritus donis à Scriptura traditum amplectimur. Quæro deinde vbĩnam legerit nos hac ratione fieri deos. Atque vt duo illa obtinuerit, perperam tamen colligit hominis animam cum Dei Spiritu in vnũ

coalescere. Minus etiam tolerabile est alterum eius dictum, quo suam impietatem exaggerat. Nam pag. 195 ita scribit ad verbum, Dubitare iterum quis potest, si in vnam cum anima nostra substantiam coit Spiritus sanctus, quid illud totum est: Respōdeo, Est anima, & est Spiritus sanctus. Deitatis illa positio nec speciei, nec indiuidui nomē mutat. Est anima ī Spiritu sancto, & est Spiritus sanctus in anima. Sicut Deus est in Christo, & Christus in Deo, & Christus est Deus manens homo: ita anima sublimi regeneratione per hypostaticam vnionem fit Spiritus sanctus, & manet anima, sicut homo fit Deus, & vnum cum Deo. Equidem non vereor vt cuiquam Seruetus tam insipidas speculationes persuadeat veras esse. Sed quia multi rixarum nimis cupidi, impio fallorum dogmatum patrocinio sese oblectant, si quis eo morbo laborans tuendum Serueti errorem suscipiat, cogitet primū quid hoc sibi velit, massam ex Spiritu Dei & anima hominis conflata, confuse animam & Spiritum sanctum vocari, non secus ac Christus promiscuē Deus est & homo, quia non modō ex Dei substantia genitus est, sed absorpta fuit eius caro in Deum. Nihil mirum si Seruetus infusas Spiritus gratias tam fastidiosē repudiat, quā hęc magica distillatio, quę cælum cum terra cōfundit, stare nequeat, nisi abolitis Spiritus sancti donis, quibus sic ditantur fideles animæ, vt semper eas inopiæ suæ sensus humiliet. Porrō Serueti patronis nimis graue onus incumber, vt animam Spiritum sanctū & Deum esse probent: non secus ac Seruetus imaginatur eadem Deitate præditam esse humanā Chri-

sti naturam, quæ ab initio in Verbo Dei fuit. Idem phantasma repetit dialogo secundo, pag. 267, quod anima fit Spiritus sanctus, & Angelus etiam fiat idem Spiritus, sicut Verbū vbi fit caro, manet tamē Verbum, quia totum plasma caro fit Verbi. Ac nequis sine ratione eū insanire dicat, Scripturæ testimoniis instructus prodit. Psalmo 15 & 72, scriptū est, Dominus pars mea. Nihil clarius est quàm Dauidem illic ad humanas hæreditates alludere, quia nihil charius, vel pretiosius suo patrimonio habent homines. Eodem haud dubiè respexerat Deus quū filios Abraham hæreditatem suam vocans, se illis in hæreditatem vicissim fore pollicitus fuerat. Seruetus hoc prætextu Spiritū in animas nostras essentialiter distillat, qui ipsas deficiet, vt sit indiscreta quædam massa. Mirū nisi tanta fatuitas, vel caninis frōtibus ruborem exprimat. In penultima propositione mihi à lectoribus petenda erit excusatio, si pædobaptismum ex professo non defendam: non quòd difficilis sit, vel molesta, vel etiam laboriosa huius causæ defensio: sed quia nolo actum agere. Hanc enim doctrinæ partem magis copiosè mihi tractasse videor, quàm vt de integro nunc eius explicatio texeda sit. Tantū breuiter ostēdam, quibus stimulis ultra omnes Anabaptistas percitus fuerit Seruetus ad maledicendum pædobaptismo. Viginti rationibus contendit libro de Regeneratione quarto, perperam ac præter Dei mandatum baptizari infantes. Prima est, Quòd Christi symbola perfecta, viros perfectos exigant, vel perfectionis capaces. Respondeo, minus verecundè facere Seruetum, quàm solent Ma-

thematici, qui principia saltem petunt. Hic verò à seipso creatus magister, legem pro arbitrio suo nobis imponit. Responsio autem facilis est, Baptismi perfectionem, cuius vsus ad mortem vsque extenditur, ad vnum temporis articulū non debere restringi: ideoque nihil esse absurdi si baptizentur qui pro ætatis suæ modulo perfectionē nondū capiunt. Secunda ratio est, quòd Christi symbola ad memoriā sint instituta, vt quisque recolat se Christo fuisse conspultū. Hic quoq; deest principii petitio. De sacra Cœna præscribit Apostol⁹, vt se prius examinet homo, quàm ad eā accedat: & huic mysterio peculiare est Christi mandatū, Facite in memoriā mei: de Baptismo nihil vsquā tale legitur. Admonet quidē Paulus fideles, vt Baptismi sui finem expēdant. Sed quis sanus cōcedet ad præsentem articulū temporis, quo administratur, trahendū esse? Quin potius sese oculis ingerit manifesta illa, quā notavi distinctio. In tertia ratione sibi tam suauiter plaudit Seruetus, vt syllogismum insolubilem se habere fingat, Omnis qui non credit Filio Dei, manet in morte Adæ, & ira Dei manet super eum. Infans baptizatus non credit Filio Dei. Ergo manet in morte Adæ. Quòd autem non credant, clarum est: quia fides est ex auditu. Antequam hunc Gordianum nodum soluo, contrarium syllogismum opponam, Quen-
cunque benedicit Christus, ab Adæ maledictione & ira Dei eximit. Infantes autem ab eo benedictos esse notum est. Ergo ab ira Dei exemptos esse sequitur. Quid quòd Seruetus ipse, vt paulo pòst videbimus, infantes æterno exitio non patitur addici: Imò

beatæ resurrectionis consortes fore docet. Moria-
 tur infans septimo, vel octauo mense: imò puer an-
 no duodecimo: ad eum salutis per Christum partæ
 gratia secundum Seruetum, absque baptismo per-
 ueniet. Cur ergo nobis axioma obtrudit quod nec
 ipse admittit, & à fide nostra prorsus dissentaneum
 esse non ignorat? Caterùm syllogismi facilis est so-
 lutio, quando illic Christus infantes ad tribunal
 Dei non citat maledictionis reos, sed tantùm contu-
 macibus iudicium denuntiat qui auditam Euange-
 lli doctrinã respuunt. Hoc verò ad infantes non ma-
 gis pertinet, quàm capitalis pœna, qua Deus vlcisci-
 tur rebelles filios, qui violentam manum patri, vel
 matri intulerint. Quia in hoc syllogismo suum acu-
 men miratus erat Seruetus, secundum eiusdem fari-
 næ attexit, Quisquis natus est ex Spiritu, vocem
 Spiritus audit, Iohannis 3. Pædobaptizatus non au-
 dit: ergo non est natus ex Spiritu. Verùm quod ex 3.
 Iohannis capite citat, nusquam apparet. Itaque diru-
 to fundamento, totum ædificium concidit. Et tamẽ
 Serueto non concedam Spiritum ab infantibus nõ
 audiri. habet enim Deus arcanos modos quibus sua
 figmenta paulatim, vt visum est, formet. Ideo infan-
 tes suo modo Christum induere dicimus, quia eos
 àplectitur Christus, vt sua iustitia vestiatur. Quarta
 ratio est, Quòd nemo spiritualis initiò esse possit,
 quia præcedit quod animale est, 1. Corin. 15. Ministe-
 ria autem Noui testamenti sunt Spiritus. Ergo non
 possunt à pucro carnali incipere. Fateor certè om-
 nes posteros Adæ nasci iræ filios, & nihil ab vtero
 quàm mortem afferre: sed præscriptum diuinitus tẽ

pus Seruetus ostendat, quo incipiat spiritualis vitæ nouitas. Nos enim solidis, & claris Scripturæ testimoniis freti, simulac nascuntur infantes ex sanctis parentibus, Christum dicimus illis manum porrigere, vt à communi reatu absoluat. Quinta ratio ex allegoria sumitur, Quia Dauid in arcem Sion conscendens, nec cæcos, nec claudos secum ducit, sed strenuos milites. Verùm si quis parabolam opponat in qua Deus ad cæleste epulum inuitat cæcos & claudos, quomodo se expediet Seruetus? Ego autem nihil aliud respódeo, nisi claudos & mutilos cū Dauide prius militasse, ideóque minime esse prohibendos à sacro symbolo, quo Christus rudes, & nouitios in suam militiã inicit. Sexta ratio est, Quòd in fluminibus aquæ viuæ quæ manat ex cælesti Ierusalẽ, piscatores sunt hominum Apostoli, nõ paruulorũ: quia boni piscatoris est pisciculos non attingere, sed maiores tantùm ex aquis tollere. Verùm si quis factus homo contrà obiiciat, in rete Euangelii promiscue colligi omne piscium genus, nõne cum ludibrio euanescet Serueti allegoria? Ego autẽ respódeo, bonos doctores ita piscari quos sua doctrina Christo acquirunt, vt eorum sobolem minimè reiiciant, quæ in ipsis parëtibus sanctificatur, teste Paulo, perinde ac prouentus nouarum frugum in primitiis.

Septima ratio est, Quòd spiritualibus quadrẽt spiritalia. Infantes verò non esse spirituales, Seruetus ipse pro confesso sumit. Respondeo peruerse ab eo torqueri quod dicit Paulus se coaptasse cælestem sapientiam simplicibus verbis, quæ Spiritus maiestatem potius, quàm humanæ facundiæ delicias respice-

rent. Deinde hoc in primis euincat necesse est, arce-
 ri infantes ab omni Spiritus gratia. Quod postea
 subiicit, spirituali cibo pascendos esse si facti sint no-
 ui homines: facile discutitur, quia in nouam vitam
 regeneriti, arcana Christi virtute aluntur, donec per æ-
 tatem ad Cœnam recipiendam sint idonei. Osta-
 ua ratio est, Quòd Christ⁹ omnes Christianos ad Cœ-
 nam suam vocet. Proferat Seruetus testimonium,
 vt credamus. Nam Christus nominatim testatur se
 nullos admittere nisi qui ad celebrãdam mortis suæ
 memoriam formati sunt, & edocti. Quòd portentũ
 esse dicit, hominem generari qui manducare ne-
 queat; non alia respõsione indiget, quàm Christum
 vitæ cibum esse infantibus, licet ab externo symbo-
 lo ad tempus abstineãt. Neque enim absurdum fuit
 octauo die circuncidi infantes sub Lege, qui tamen
 non antè ederent Pascha, quàm sacræ ceremoniæ v-
 sum perciperent. Sic enim sonãt Mosis verba, Quĩ
 rogauerint filii tui & filia tua, Quid hoc sibi vult: do-
 cebis eos, &c. Nona ratio est, Quòd bonus dispẽsa-
 tor, familiæ cibum distribuat tẽpore suo. Respõdeo,
 Vt præposterũ nos ordinẽ tenere coarguat Seruetus,
 probandũ in primis esse, prohiberi à Christi gratia
 infantes. Decima ratio, Quòd Christus Apostolos
 iubeat respicere ad regiones quæ iã albescũt, & para-
 tæ sũt ad messẽ: vnde sequitur immaturã frugẽ per-
 perã colligi. Quasi verò perpetuã regulã illic Chri-
 stus præscribat discipulis: ac nõ potius præsentẽ la-
 boris fructũ ostendens, eos ad obeundũ alacriter do-
 cẽdi munus magis extimulet. Nego igitur illis Chri-
 sti verbis certos Apostolis fines præscribi intra quos

se contineant, sed ex re præsentī sumptā esse exhortationem. Alioqui nō quadraret quod dicit Paulus, Ecclesiæ doctores seminare & rigare. Itaque istis Serueti argutiolis nihil putidius fingi potest, expectandum esse donec herba crescat, deinde tenera spica, tertio granum integrum, & tandem spica maturescat. Undecima ratio est, Quòd iidem erant in prima Ecclesia Christiani & discipuli. Quasi vbi de foliis adultis differitur, deleantur ex humano genere, ac prorsus intereant infantes: quia in eos non competunt quæ viris sunt propria. Ineptum ergo cauillum est, quòd infert Seruetus, nullos esse Christianos nisi discipulos. Quasi tunc sancti patrestamiliās sobolem suam prophanam duxerint. Duodecima ratio, Quòd Christiani omnes fratres sint: infantes verò loco fratrum apud nos nō haberi cōstet, quia à sacra Cœna eos repellimus. Respōdeo æquè ac Corinthios, vel alios quos libet, ex Christi discipulis fuisse latronem, qui ad Christū in cruce cōuersus est, quāuis sacrum panē nunquā gustauerit: nec fraterni nominis honore spoliari à nobis infantes, dum eos nō antè ad sacram Cœnā admittimus, quàm solidi cibi capaces fiāt. Decimatertia ratio est, Quòd nemo frater noster fiat, nisi per Spiritū adoptionis, qui tantum ex auditu fidei cōfertur. Respondeo, quod dicit Seruetus, in adultis locū habere: sed hūc ordinariū vocationis modū, quē tenet Dominus, minimè obstarè quominus occultā vim Spiritus in pueris, vbi visū est exerceat. Imò quum dicit Paulus, fidē esse ex auditu, ne his quidē verbis imponitur Deo necessitas quin arcano instinctu ad se trahat discipulos, quibus de E-

uāgelio uerbum nūquam factū est. Decimaquarta ratio, Quòd Cornelius accepto Spiritu baptizatus sit. Atqui si hoc exemplum instar generalis regulæ nobis esse debeat, quid Eunuchis, & Samaritanis, & reliquis omnibus fiet, quos prius Baptismo sacra-ri Deus sibi uoluit, quàm Spiritu suo eos donaret? Insulse ergo Seruetus, qui Spiritus gratiam ad temporis momētū alligat. Decimaquinta ratio, Quòd regeneratione dii efficimur. Sunt autem dii, ad quos sermo Dei factus est. Ergo pædobaptizati nō sunt dii, qui Dei sermonem non audierunt. Omitto quòd Seruetus, qui dialecticam sibi tam audacter arrogat, syllogismum vnum conficere nō potest. Cæterum vnde axioma illud hausit, Baptismo nos effici deos? Hoc tamē illi etiam remitto. Sed in minori pudēda est insulsitas, quòd Christus deos uocet ad quos uerbum Dei factum est. Scimus honorificum hunc titulum Iudicibus tribui à Propheta, quòd Dei personam sustineant in sua functione. Causam adducit Christus, quia diuinitus iniunctum est illis gubernādi mandatum. Seruetus ad Euangelii prædicationē id trahens, flagellum sibi cōficat quo infantes à Dei familia arceat. Decimasexta ratio, Quòd noua generatio esse nequeat, nisi ubi est nouus homo. Nouus autem homo non fit, nisi per sermonem genitus. Respondeo, Quos Deus secundū ætatis gradus ad fidem adducit, incorruptibili uerbi femine regigni: sed hoc non obstare quominus ad imaginem suam refingat qui nondum capaces sunt doctrinæ. Decimasseptima ratio ex Legis figuris petitur, Quòd ouis & capra non statim ab egressu uteri oblata fuerint

in sacrificium. Sed quid si retorqueam, primogenita omnia simul ac vuluam aperuerant, Deo sacra fuisse? Quid si rursus obiiiciam, agnum oportuisse anniculum, & tenerum maētari? Vbi iam erit illud virile robur, & plena perfectio, quam in Baptismo requirit Seruetus? Decima octaua ratio est, Quod nō possit ad Christum vocari, qui non potest a Iohanne præparari. Quanquam autem mihi, si vellem, liberum esset suum axioma Serueto negare, de hac re tamen non litigabo. Sit sanè hoc generale, Iohannis opera præparari Christo discipulos. Sed hoc inscitè ad infantes trahi respondeo, quos antè in gregem suū cooptat Christus, quàm discipuli esse possint, & quos pro suis agnoscit nondum ab illis agnitus. Decimanona ratio est, Quia doceant Trismegistus & Sibyllæ non conuenire Baptismū nisi adultis. Ergo pluris erit Trismegisti autoritas, quàm Dei ipsius, qui Circumcisionem eiusdem renouationis ac puritatis symbolum, infantibus communem esse voluit: Deinde quid prophanus expiandi ritus, quo vsæ sunt Gentes, Baptismo nostro affine habet? Ego verò sententias illas ex vulgari, tritaque superstitione sumptas esse non dubito. Vicefima ratio, Si infantes liceat sine intellectu baptizare, Baptismū à pueris ludentibus mimicè, & per iocum posse administrari. Quasi verò impositio manuum, qua benedixit Christus infantes, ad puerile ludicrum trahi debuerit. An lusoria res est Dei promissio, qua se Deum sobolis nostræ fore testatur? Baptizamus quidem infantes priusquam mente adoptionem suam percipiant: sed dum illos in gregem suum cooptat

Deus, mente & consilio carere putandus non est. Nos quoque, qui fœdus salutis, eorum nomine amplectimur, quos Deus nobis adiungit illius participes, non sine intelligentia gratiam Verbo testatam, aquæ symbolo obfirmamus. En cur Seruetus præcipiti furore in pædobaptismum ita exarserit, vt nulla secundum ipsum deterior sit, magisque detestabilis Christianismi prophanatio. Nihil enim præterea adducit, cur infantibus non conueniat Baptismus, nisi quòd ipsa Baptismi definitio, qualis in Scripturis traditur, ad solos adultos pertinet. Ad hoc probandum, quæcunque de vsu & efficacia Baptismi passim leguntur, in catalogum vnum cōtrahit. Sed quum de Baptismo nihil afferat quod non similiter in Circumcisionem competere Legis & Prophetarum testimoniis probemus, vno verbo euertitur tota proluxa eius disputationis congeries. Nam quòd Serueto Circumcisio nihil aliud fuit quàm typus & vmbra Circumcisionis nouæ quæ fit per Christi Spiritum sine hominum manu: ex nimis crassa, & rudi inscitia manat. Passim ostendunt Prophetæ nõ minus spirituale symbolũ fuisse veteri populo, quàm sit nobis hodie Baptismus. Nec frustra Paulus eam honorifico titulo insignit, quòd fuerit sigillum iustitiæ fidei. Eiusdem notæ est, quòd ita impletum esse dicit illud Pauli, coniunctos fuisse à Christo duos homines, nouum & veterem. quum simplex Pauli sensus sit, in vnum corpus aggregatas esse Gentes cum Iudæis, vt iam sint quasi vnus homo in Christo, qui prius interposita maceria, non solùm procul distabant, sed hostile habebant dissidium. Adde

quòd eodem loco alibi fucare contendit suum illud phantasma de carnis Deitate, & Deitatis in carnem transmutatione. Porrò, mirum est qui nimium rigidus infantibus esse metuit, quòd ad vsum externi symboli ipsi tam iniquum esse. Pagina enim 357, nullos vel ex Niniuitis, vel Barbaris quibuslibet progenitos in futuram gehennam damnare audet, quia (eius iudicio) misericors Dominus, qui impiorum peccata gratis sustulit, nunquam adeò rigidè eos damnaret, à quibus nulla est còmissa impietas, & qui sunt innocentissimæ Dei imagines. Quid hoc sibi vult? Quos in vlnas suas tam comiter recipit Christus, & solenni benedictionis symbolo dignatur, Seruetus ab Ecclesiæ gremio excludit, licet innocentissimas esse dicat Dei imagines. Sed rationem assignat, quòd liberatione non indigeant, qui peccati nòdum sunt serui. Vnde autè liberos à peccato esse probat? Quia non sit seruus peccati, nisi qui facit peccatum. Verum semper ad eundem lapidem impingit, quæ distincta sunt peruersè confundens. Peccati mancipia Christ⁹ ex scelestà vita esse còuincit, qui se pro filiis Abrahæ venditabant. Hinc probè, fateor, colligitur, impios omnes, ac reprobos se propria culpa seruos peccato addicere. Sed incòsideratè Seruetus inde infert nullos peccati seruos nasci. Vnde enim natura filii iræ? Vnde hæreditaria maledictio? An ita atrociter sæuiter Deus in suas innocentissimas imagines? Cæterum Seruetus postquam liberationem infantibus superuacuum esse asseruit, Christum illis redemptorem ordinat, vt corporaliter resurgāt à corporali morte & inferno: Baptismum interea, quo in

spiritualē vitam restituimur, illis quadrare negat. Hic obseruent lectores quā reuerenter de iustitia Dei garrat Seruetus. Immunes à culpa esse fingit: innocentiae laudem illis vendicat, pag. 387. Interim eos adiudicat morti & inferno. Hic si more Seruetico ratiocinari libeat, nonne plausibilis erit in Deū querimonia, qui impiis & sceleratis ignoscit, parū humaniter miseros & innoxios infantes omni remedio priuat: crudelem etiam esse, qui gratis scelera hostibus suis cōdonans, innocentissimas suas imagines à morte non eruit: Quā pulchrè secum alibi consentiat, dicere omitto, quadam coitus specie diabolum esse intrusum in eorum carnem: vt satis appareat sine vllō pietatis sensu eum lusisse. Iam videre operæpretium est quodnam legitimū tempus Baptismo suo determinet. Mysterium magnū esse dicit, quòd Christus non ante triginta annos baptizatus fuerit. Exemplo enim eius nos esse edoctos, ante eam ætatem non esse quem satis aptum ad mysteria regni cælorum. Addit hanc ætatem ex Adamo, & Lege probari: quia sicuti Adam tricesimo anno natus est, sic eadem ætate renasci nos debere. Nimis certe pueriliter de virili ætate, ne dicam de mysterio tam sublimi nugatur. Cur tempus illud Christus expectauerit, satis notum est. Nam Baptismi institutio non nisi ab Iohannis prædicatione cœperat. Et verò absurdum fuisset doctrinæ præire, cuius appendix erat & sigillum. Triginta annis Christus, quasi priuatus homo delituit. Ad obcundā functionem suam emergens, Baptismo se initiat. An legem aliis præscribit, quorū longe dissimilis est ra-

tio. Imò ne à doctoris quidem officio arcere voluit
 iuniores: tantum abest vt viam illis ad Baptismum
 præcluserit. Quoto enim vitæ anno ascitum fuisse
 Timotheum dicemus ad munus docendi, cui satis
 longo post tempore præcipit Paulus vt suam iuuen-
 tutem à contemptu asserat? Duplex affertur à Serue-
 to solutio, quòd quū ab initio conuersionis suæ pro-
 batus esset omnium testimonio, colligere liceat annū
 tricesimū excessisse. Quomodo igitur eum sui nō pu-
 det? Ante annū vicesimū quartum libro edito se pro
 vnico orbis propheta iactauit. Nunc probari quem-
 piā posse negat, vt inter discipulos cēseatur, nisi qui
 annis triginta sit superior. Sed cur octodecim anno-
 rum probari nō posset, qui à puero sacras literas didi-
 cerat, & fidem propemodū cū lacte imbiberat à ma-
 tre sua, & auia Loide? Puer in fide, & timore Domini
 educatus erat Timotheus, vita eius castè & honestè
 cōposita fuerat: nullā tamē pietatis, vel honestæ vitæ
 laudē, authore Serueto, ante annos triginta consequi
 potuit. Non minus decennio post Timothei baptis-
 mum præterierat, quum Paulus eum admonet vt
 sibi à cōcupiscentiis iuuenilibus caueat. Facturū-
 ne id fuisse putamus, nisi adhuc à feruore ætatis vi-
 disset esse periculum? Nec verò hīc vel libido vene-
 rea, vel alia carnis lasciuia notantur in homine ab-
 stemio, & plus satis temperato, vel potius austero, vt
 Paulus ad bibendum vinum hortari eum cogatur.
 Quid igitur? Certè hic simplex est verborum sen-
 sus, vt ingenii calorem, qui in iuuenibus vt pluri-
 mū ebullit, grauitate tēperet. Atqui excipit Ser-
 uetus, puerum vocari Iosue post annum quadrage-

simū, sicuti & Roboam. Primò, hoc nihil ad Timotheum, cuius iuuentus nō ex solo nomine, sed ex certis circumstantiis probatur. Deinde Seruetus audacem inscitiam vbiq̄e prodit. מַחֲרִים vocant Hebræi robustos iuuenes, aut viros, quasi selectos, vel egregios dicas: hic bonus Rabbinus neglecto omni delectu, vocem illam in puerum conuertit. Secunda solutio est, in consequentiā nō trahi Timothei exemplum, de quo prophetia præcesserat. Quid si ex opposito contendam, ex Christi quoque exemplo legē peruersē statui, quando vnigeniti Filii Dei separata à nobis omnibus conditio fuit? Adde quòd Baptismum non præcesserat illæ prophetiæ. Quare æternam, & inuiolabilem Christi legem, si Serueto creditur, transgressus esset Paulus. Quid etiam de illo adolescente dicet, qui sopore oppressus ex fenestra decidit? Conuenerat Ecclesia ad frangendum mysticum panem: adest cum reliquis non itatæ ætatis vir, sed adolescēs. Qua prophetia nondum aptus regno Dei, in sacrum cœtum intrusus fuerat? Quid? an frustra deinde Timotheum admonet Paulus, vt se ætatum rationi accommodet? Iuuenes, inquit, hortare vt fratres: iuenculas, vt sorores. An quadragenarias iuenculas nobis confinget Seruetus, ne Baptismus ad filias Dei natu minores effluat? Similiter quā Petrus iubet adolescentes senioribus parère, & subesse, velim vt hic bonus finitor vtriusque ætatis fines componat. Aliquod certè intermedium tempus esse oportet: quia absurdè alios aliis subiiceret Petrus vnus vel alterius anni respectu. Iam illustrior ætatum distinctio ponitur à Iohanne, quàm

vt frigidis Serueti næniis obscurari queat, Scribo
 vobis patres, quia nouistis eum qui est ab initio. Scribo
 vobis adolefcētes, quia vicistis malignum. Scribo
 vobis filioli, quia nouistis Patrem. Nōne vide-
 mus, vt à pueritia vsque colligat Deo filios, vt in fi-
 dei vnitatem cocant omnes ætates: Et certè quum
 Ioel de Christi regno vaticinans, Spiritū Prophetiæ
 iuuenibus perinde ac senibus promittat, à primo fi-
 dei tyrocinio eos prohiberi plusquam absurdū est.
 Nec verò quatuor filias Philippi, quæ adhuc domi
 eius educabantur, vetulas fuisse quisquā sanus conii-
 ciet: Spiritu tamen prophetiæ dotatas fuisse Lucas
 testatur. Quis ergo ante annos triginta Baptismo
 maturas fuisse dubitet: Perstat tamē Seruetus, quòd
 ætas triginta annorū sit ætas adulta Christi, in qua
 docet Paul⁹ perueniri ad verā Filii Dei cognitionē,
 quū antè nonnisi puerilis sit cognitio, Ephes. 4. Quis
 neget manu carnificis ad frangendā huius bestiæ cō-
 tumaciā opus fuisse: Fideles alloquitur Paulus, qui-
 bus etiam se annumerat. Proficere eos omnes iubet,
 donec in plenitudinem fidei occurrant. Hic nebulo
 blasphemix suæ vomitu, totius Ecclesiæ Baptismū
 delere conatur. Vt tamen aliquando ex hac colluue
 egrediar: si obtineat lex Serueti, quid miseris omni-
 bus fiet, qui viginti annis maiores ante tricesimū ex
 hac vita migrant: Mortale peccatum, authore Serue-
 to, ab annis viginti obrepit. Vnde necesse est secun-
 dam quoque mortem dominari: lauacro regenera-
 tionis eripi nos ab exitio docet, ex quo mortali pec-
 cato sumus obstricti. Peribit ergo innumera homi-
 nū turba, quæ morte extinguitur intra illud decen-

niū: quia remediū, quod eorū malo necessariū effe-
 cer. Seruetus, crudeliter idē eripit. Et adhuc erit quis-
 piam tam stupidus, qui de vita futura eum cogitasse
 credat, qui humanæ salutis tā fuerit prodigus: Quā-
 quam certiore documento, Baptismū sibi ostēdit lu-
 dibrio esse, cuius recipiendī nunquam ab eo quaesita
 est ratio. Quid hoc portenti est, quū ad annum qua-
 dragesimumseptimū vixerit, negligere tam diu, vel
 saltem omittere quod iactabat necessariū esse salutis
 æternæ pignus? Verūm mihi abunde sufficit, relicto
 homine, ostēdere quā crassa sit, ac minime tolera-
 bilis doctrinæ impietas. Huic autē errori, quem pro
 instituta breuitate satis refutasse mihi videor, anne-
 xum est alterū illud commentum, A peccati morta-
 lis reatu immunes esse homines, donec annū vicesi-
 mum excefferint. Quid: quū foedæ libidines ante æ-
 tatem illā maxime ferucant, quum ad rixas & cædes
 vsque sæpe prosiliant octodecim annorū adulescē-
 tes: quū furtis, periuriis, variisq; nequitiiis se illigent:
 quum ad ebrietatē, & omne luxuriæ genus se proii-
 ciant: quū tunc denique maxime grassetur Dei con-
 temptus, nullū mortale peccatum Seruetus illic re-
 perit? Hæc eadē illi ratio est, cur neminem, nisi post
 annum vicesimum catechismo initiari velit. Quasi
 inferior ætas vel pietatis gustū nō capiat: vel quia ex
 pers est omnis malitiæ, disciplina opus non habeat.
 Vtrūque arripit Seruetus. nam pag. 363, Moſis testi-
 moniū ex i. Deuteronomii cap. citās, negat scientiā
 boni & mali ante annū vicesimū contingere. Quasi
 Moſes paruulos nominans, quos Patres cōquesti fue-
 rant prædam hostium fore, omnes comprehendat

qui nondum ad annos viginti pertigerant: ac nō po-
 tius vel infantes adhuc à matrum vberibus penden-
 tes designet, vel saltem puerulos nihil adhuc præter
 Iusus, & ineptias cogitantes. A malitia verò, vel mali
 scientia pueros dicere, qui fallendi, fraudandique mil-
 le artibus pollēt, cuius, obsecro, est stuporis? Alibi au-
 tem proficiendi defectum obtendit, pag. 372, quia in
 adolescentia prima virentis carnis procellis submer-
 sus sit ille diuinitatis spiritus, & occultus ignis ob mul-
 tum humorē se exerere nequeat. Quàm vana igitur
 erit Solomonis exhortatio? Memento creatoris tui
 tēpore iuuentutis tuæ, antequam veniant anni, de
 quibus dicas, Non mihi placēt. Caterum vt Serue-
 to cōcedo nonnisi exoriēte boni & mali notitia inci-
 pere in hominibus actuale peccatū, quod mortis iu-
 dicio obnoxios reddat: sic nimiam ante annū decimū
 mali notitiā vigere nō ego tantū affirmo, sed ipsa
 quoq; experiētia plus satis demōstrat. Naturali, in-
 quit, ratione nō censentur Deū ad mortē offendere
 qui ad talē hominū offensam adhuc sunt imbelles.
 Dignus certē fuit Seruetus, cui turmatim oculos cō-
 figerēt imbelles isti, & innoxii pulli, quos tā benigne
 excusat. Sed quis illi tribunal erexit, vnde quod so-
 lius est Dei, iudiciū sibi arroget? An est ille vnicus
 legislator, qui potest seruare & perdere? Quo iure Papa
 ei Antichristus erit, quē diabolica superbia superat?
 Verūm, Scripturæ testimoniis sese defendit. Nā Deus
 olim de ingrato populo poenā sumens, nō nisi vigin-
 ti annis maiores ingressu terræ Chanaan priuauit.
 Qualis est ista dialectica, à specie ad genus vniuersa-
 liter ratiocinari? Ego verò contrā excipio, Quū in

ipsa terra Chanaã sumpta fuit de populi sceleribus
 vltio, ne pueros quidē fuisse exemptos. Et certē Iere-
 mias quū matrib⁹ comites fuisse exprobrat, vt ligna
 nefandis sacrificiis colligerēt, eos à crimine minime
 absoluit. Sed quia tā ridicula fatuitas seriò exagita-
 ri nō meretur, ad reliqua trāsire sati⁹ est. Vno tamē
 verbo monēdi sunt lectores, nō stetisse per Seruetū
 quominus iocando & nugando nō solum euerteret
 quicquid est religionis in mundo, sed politicū quo-
 que ordinem, recti discrimē, verecundiā denique o-
 mnem ex humanis mentibus deleret. Restat vlti-
 ma propositio de animæ mortalitate. Odiosum cri-
 mē, ideo tumultuosē Seruetus obstrepit. Sed quid tā-
 dem affert: Perfidiam mihi obiecerat, quia dicat ani-
 mam velut mori, nō autē instar carnis mortalē esse.
 Ostensa sunt eius verba, quæ deterius aliquid expri-
 munt, & magis virulentū, quàm quod obiecerā. Hoc
 scilicet luctando profecit, vt laqueū suū magis strin-
 geret. Nūc vltimum illi asylum est, quòd mors insi-
 gnior dicatur spiritualis, vel peccati. Quasi verò nō
 illic disertè carni animam comparet, quasi par sit v-
 triusque conditio. Huc etiam pertinet quod paulo
 pòst subiicit, Totam immortalitatē perditā fuisse à
 primo homine, quasi moreretur nūquā amplius futu-
 rus: morti autē per Adā allatæ mederi Christū, quū
 aerē nouū in nobis spirās, naturā suā nobis cōmuni-
 cat. Excipit se aliter de animæ natura disseruisse. Fa-
 teor, vt nūquā sibi cōsentaneus est, in hac quoq; par-
 te diuersis locis temere effutire pugnātes iter se sentē-
 tias, quales istæ sūt, Animas in aeris ambitū diffilari,
 pa. 233: & sepulchris teneri inclusas, pa. 241. Itē insitū
 p. iiii.

esse Deitatis Spiritum animæ, & tamē ipsam esse vaporem admodū fragilem, qui in ambientē ita exhalat, vt post mortē sit vmbra viuentis, nō verē res viuens, Dialo. i. pag. 228. Vnde apparet qualis ex eius scriptis nobis emergat animæ immortalitas.

Vltimæ clausulæ vtilis quidem esse posset, longa tamen, & laboriosa tractatio, si de singulis capitibus vellem iustum ad modum differere. In præsentia mihi fatis erit, testatum fecisse lectoribus, quā verē dixerim, nullam doctrinæ partem non fuisse impiis Serueti commentis inquinatam. Dixi in Libero arbitrio Pelagianum esse. Vt crimen retaliēt, vocat me Simonis magi discipulum. Deinde Apostolos, omnesque vetustos doctores ad sui erroris subscriptionem aduocat. Mihi nō noua defensio quærenda est, quā liber meus ante annos decē editus aduersus Pighiū, putidas omnes istas calūnias luculentē discusserit. Nā illic ex professo agēda fuit causa, ad quā me Seruetus reuocat. Quā dextre fuerim defunctus, prædicare non est meum. Sic quidem me satisfecisse confido, vt verbum addere necesse non sit. Nunquā interea se purgabit Seruetus, quin Pelagiū nobis ab inferis excitet. Et tamen quod facturū me negauerā, paucis verbis vanitatē hominis refutabo. Quid de seruo arbitrio scripserim, nunquā eum vel primis labris gustasse inde patet, quò deo teste, seruum arbitrium esse colligo, quia Deus agit in nobis. Hoc axioma vnde hauserit nescio. Mihi certe nunquam venit in mentem, & à mea docendi ratione prorsus alienum est. Ipse interea ad suam Deitatem relabatur, vt ostendat hominem nō simpliciter à Deo agi:

sed quatenus Dei portio est, seipsum libera potestate agere. Et ne quid ad ignorantiae cumulum desit, farraginem suam denuo inculcat de generali inspiratione, qua tam vegetatur vituli, & hirci, adeoque arbores & plantae, quam illustrantur humanae mentes. En qua vindicta hominem manumittat ex servitute peccati: forte quia audierat Romanos olim vel pilei rotatu, vel corpus ipsum ter vertendo, servis suis libertatem dare solitos, huius ceremoniae loco ad liberandum hominis arbitrium cerebri sui vertiginem supposuit. Adde quod, dum peccato vitiatam esse, & corruptam hominis naturam Scriptura docet, ad solum corpus hoc restringitur à Serueto, ut anima ab omnivitiis pura sit. Nam hoc illi caro significat, sub qua tamen totus homo quantus quantus est, comprehenditur, pag. 377. Hinc fit ut peccato originali neminem damnari putet, quemadmodum paulo ante exposuimus, & repetit pag. 720. Obieceram ipsum iustitiae perfectionem unam cum Catharis, Nouato, & similibus haeticis statuere: mentiri me respondet. An mentiar, ex re ipsa iudicent lectores. Postquam pag. 552 Christum substantialiter à morte resurgendo innouatum esse dixit, pagina sequente dictu nefas esse pronuntiat, Christum aliquid spirare quod nobis commune non sit, quum se totum nobis communicet. Hoc modo destrui variam donorum Spiritus distributionem, referre nihil attinet. Vnicuique dari gratiam secundum mensuram donationis Christi non modò testis est Paulus, sed fidei sensus dicitur, & propria experiètia docet. Christum Seruetus boni quidquam spirare non vult quod non quisque nostrum

in solidū recipiat. Hoc sicui videtur non satis liquidum esse, vel firmum, agedū quicquid est ambiguitatis tollat ipse Seruetus. Epistola duodecima hoc argumentum, data opera tractādū suscipit. Hoc porro exordium est, **Quum** doceo quibusdam velut facibus sepe esse admixta opera, vt foeteant corā Deo, si ad rigidū examē vocentur, me in Spiritū blasphemare dicit. **Quū** doceo nusquā posse inueniri perfectum Dei amorē in terra, quia caro cōtra Spiritum concupiscit: doctrinæ Christi contendit hoc palām esse aduersum. Videmus vt singulis operibus exactā puritatem vendicet, quæ sustineat extremū Dei rigorē. Deinde vt neget carnis cōflictu impediri Santos quominus Deum toto corde, totisq; viribus diligant. Faceat igitur è medio peccatorū remissio, si perfectam iustitiā opponere Deo licet. Prosequitur Seruetus, octodecim Scripturæ locos recensens, vbi fidelibus perfectio tribuitur. Cur non etiā ex Veteri testamento totidē, sicut poterat, protulit (quo tēpore negat Spiritu regenitos fuisse homines) nisi quia veritus est ne hoc modo sine Spiritus gratia constaret iustitiæ perfectio? Quid tamē contineāt loci isti videndū est. Corinthios hortatur Paulus, 1. Corin. 1, vt perfecti sint. An eos propterea in gradu perfectionis collocat, ac non potius se cupere ostēdit, vt tota vita ad perfectionē aspirēt? Omitto quod ad symmetriā corporis alludens Paulus, κατὰ τὸ νοσοῦντες dicit, quasi concinnè aptatos. Secundo eiusdē Epistolæ cap. sapientiam se loqui dicit inter perfectos. Sed quū tales rudibus & pueris opponat, nihil aliud quàm integritas notatur. Nam ita vocē Hebraicā reddiderunt Græci

interpretes. Sic decimoquarto eiusdem Epistolæ, ex
 quo Seruetus tertium testimonium petit, admonet
 vt sint sensibus perfecti. Quid autē hoc sibi vult, nisi
 vt sincero iudicio, rectaque intelligentia præditi
 sint? Secundæ Epistolæ 13, ad sectandam perfectio-
 nem Corinthios extimulat, eamque à Domino i-
 pſis precatur. Inde colligit Seruetus sub carnis in-
 firmitate, nos tamen esse perfectos. Ephesiorū sexto
 perperā in veteri translatione legitur, Vt possitis in
 omnibus perfecti stare: quū prorsus aliud sonēt ver-
 ba Pauli, népe, Omnib⁹ peractis, vel confectis. Hinc
 Serueto perfecta iustitiæ puritas. Colossen. 1, in hoc
 studium se incūbere Paulus dicit vt omnes exhibeat
 perfectos in Christo. Quasi verò non ideo sit hic cō-
 tinuus piis doctōribus labor, quia nunquā in hac vi-
 ta absoluitur perfectio. Item 4. cap. Epaphrā anxie
 precari dicit, vt stent perfecti, & cōpleti in omni vo-
 luntate Dei. Atqui superuacua fuisſet Epaphræ ora-
 tio, si iam tunc perfectionē adepti forent. Apostolus
 5. ad Heb. cap. perfectis dicit cōgruere solidū cibum.
 Quis non statur ætatis viros ita vocari intelligit?
 Hinc rursus Serueto illibata iustitiæ puritas. Sexto
 cap. ad perfectionem ferri iubet fideles. Hinc probat
 Seruetus perfectionis scopū attigisse. Quia 7. & 10.
 cap. Euāgelium dicitur ad perfectionem adducere,
 in medio vitæ cursu eam constituit. Quia 9. capite,
 Legem negat perfectos reddere suos cultores, collig-
 git Seruetus nihil in Christianis esse maculæ. Capi-
 te 12, Sanctos qui mortem obierūt, perfectos vocat.
 Hæc perfectio ad præsentē vitam à Serueto transfer-
 tur. Iacobus, 1. cap. fideles ad patientiā hortatur, quæ

perfecta est virtus, vt sint perfecti, & integri: ob hanc causam Seruetus omni nauo eos abstergit. Tertio capite dicit, Siquis lingua non peccet, cum demum perfectum esse. Quum tale exemplum nusquã proferre liceat, quasi tamẽ diuinã sint omnium linguã, Seruetus dici perfectos cõtendit. Perfectionem Petrus cap. 1. suã Epistolã commẽdat, nempe vt ad eã enitantur filii Dei. Hinc colligit Seruetus, iam adeptos esse. Iohannes suã Epist. cap. 2. in hoc sitã esse perfectam Dei charitatem definit, si quis seruat eius sermonẽ. Item 4, si nos inuicem diligimus. Serueto inde emanat perfectio, quã omnes carnis sordes aboleat. Subiicit cõtino pòst, quod Paulus Philipp. 3, se perfectum & non perfectum docet, ita debere intelligi, quòd fuerit non perfectus, si Resurrectionis gloriam spectes: perfectus verò, perfectione donorũ Christi. Vt intacta per me huius dogmatis impietas maneat, iam tamẽ victor euasi: Seruetus autem fœdã impudẽtiã conuictus iacet. Negauit se Catharis, & Cælestinis similem, quorum errorem pleno ore ipsum crepuisse ostendo. Atqui perfectio in hoc mũdo erigi non potest, quin ex duobus gratiã & salutis per Christũ promissã capitibus, alterum deleatur. Hęc summa est Noui testamẽti, quòd Deus Legem suam in piorum cordibus insculpet, neque iniquitatũ recordabitur. Vbi verò nulla est residua iniquitas, frustra eius remissio promittitur. Quia dixeram, Legem Dei sic ab ipso aboleri, vt suus cuique afflatus sit viuendi regula, me iterum mendacii accusat. Iurẽne an iniurta, facillẽ ex breui verborum eius recitatione lectores agnoscent. Epistola vicesimater-

tia ex professo contendit, Legem nonnisi ad tempus datam. Excipiet fortè quispiam ex eius fautoribus, hoc nihil à Pauli dicto discrepare. Ego verò vbique quod Paulus docet, profiteor, non modò abrogatas esse ceremonias Christi aduentu, sed iugum seruitutis solutum esse, sublatam quoque maledictionem, quam Lex omnibus transgressoribus denūtiat. Denique qualis sit Legis abrogatio, cum aliis pluribus locis, tum in mea Institutione circiter finem tertii capitis perspicuè docui. Sed hic phreneticus cælū & terram turbat, quia regulam bene viuendi in Decalogo præscriptam, soluto maledictionis rigore, æternam esse dicimus, ideóque Iudæis & Gentibus cõmunem. Quid autem Legis doctrinæ opponit Seruetus: nempe solum Spiritus instinctū. Cui respondet quod alibi dicit pag. 316, quòd Lex Christi non indigeat externo modo scribi, nec per Papæ decreta: quia sit Lex cordis & fidei, cuius ratione efficimur theodidacti, dum Patre trahēte Christum discimus. Conuitia sua, vt volet, in aerem iaculetur Seruetus, modò palàm fiat, nihil ei non verè fuisse à me obiectum. Si excipiat quispiam ex eius discipulis, parum referre scriptamne doctrinam vitæ hominum præficiat, an interiorē Spiritus ductum: acriter repudianda est hæc cauillatio. Nihil vel scripto, vel voce præcipit Deus, quod nõ intus per Spiritum dicet, fateor. Sed quia nihil procliuius est quàm homines pro ingenita sibi vanitate, & lasciuia huc & illuc dilabi, Dominus Legem suam consultò scriptam extare voluit, quæ nos ad finem vsque mūdi intra certos fines contineat. Etsi autem Seruetus in speciem

frænare videtur prauos carnis affectus, & in obsequiũ Spiritus cogere, alibi tamen pestiferum quod occultat virus erumpit. Nam in Apologia ad Melancthonem, pag. 719, Tuo, inquit, pseudoiudaismi vinculo omnia nobis tristissima facis, quum Prophetæ omnes, & Angeli gaudium & lætitiã in Christo semper annũtiant, & muliebribus pauoribus vbique te ipsum territas. Quãm fideliter in hoc incumbat Melancthon, vt diuini amoris fiducia conscientias exhilaret, quãm magnificè gratiam Dei, qua pacantur ac serenantur mentes nostræ, extollat, non disputo: nota enim & probata est piis omnibus singularis eius hac in parte dexteritas. Quã ergo lætitiæ doctrinam in eo desiderat Seruetus, nisi quæ ex animis omnem culpæ, & poenarũ sensum expungat? Itaque muliebres vocat pauores, qui nos ad timorem Dei, ad sollicitam & cauendi & precandi curam expergefaciunt. Quas sibi delicias fecerit, hoc est quãm suauiter excusso Diuini iudicii metu sese demerserit in securam indulgentiam, quisquis non perspicit, cum sponte cæcutire dico. Quod postea adiunxi crimen silentio transmittens, quasi aperta confessione agnoscit. Et certè in eo Thraſonicè passim exultat, quòd neque promissiones respiciat fides, neq; ab illis pendeat, Pag. 325. Promissio, inquit, non necessariò exigitur vt quis iustificetur, quãquã eam semper exigiplerique hodie contendant. Asylum habent ipsum Abraham. At verò Abraham non ideo iustificatus est quia de promissionibus sermo erat, sed quia Deo loquebatur cui credidit. Et in eo iustificatione vitæ consistere pronũtiat, ac vitam ipsam, siue quid pro-

mittat Deus, siue non. Ostendit hic vnus locus Seruetum, qui vbique magistrali supercilio iacet sibi vni constare rectam fidei definitionem, nunquã tenuisse eius principium. Fides, eo authore, nullã promissionem requirit, vt hominem iustificet, ac salutẽ illi conferat. Hic non disputo, sitne fides, quã ad Deum contremiscit peccator. Altior vertitur quæstio, in quo fundata sit fides, quæ & mater est pietatis, & nos Deo coniungit. Eam Seruetus à Dei promissionibus auellit, ac si generali obiecto, vt loquitur, contenta foret. Satis est illi, Deum loquutũ esse, quanuis nihil promittat. Non iam dico nullo vnquam fidei gustu fuisse imbutũ qui sic loquitur, sed bruto contemptu de mysteriis Dei fabulatum esse. Quæritur quisnam ad Deum nobis accessus pateat. Si expendimus quid in nobis sit, necesse est vt mortiferum horrorem nobis incutiat eius maiestas. fugiet ergo Dei præsentiam totum humanum genus, donec cum gratiæ suæ testimonio nobis affluat. Quis enim Deum sibi propitium fore confidat, nisi ex eius ore de paterna eius beneuolentiã certior fuerit factus? Digni sumus omnes, quos male perdat. Ipse verò se nobis hostẽ esse denuntiã, maledictioni nos subiiciẽs, citãnsque ad tribunal suũ æternæ mortis reos, annon horribili modo in nos fulminat? Seruetus audacter exurgit, nihil metuens, quanuis nulla eum promissione gratiæ Dominus subleuet. Quis non fidem hanc, cuius inani iactantia superbit, Cyclopicam ferociam esse videt? Ridet etiã pueriles nostros terrores, vt ipse quidem iudicat: quia nullum nisi in gratuitis Dei promissionibus

asylū reperiamus. Annō trepidaret ipse nobiscum,
 si quando in mentem illi venisset Deum fore mundi
 iudicē: Quum ad Deū accedimus, inquit Apostolus,
 credere oportet quòd remunerator sit quærentibus
 se. Nunc quū nemo illi consiliarius fuerit, vnde ista
 persuasio, nisi ex eius promissione? Atque huius rei
 sua cuiq; experientia fidelis magistra erit. Caterū
 vt Scripturis definiatur hæc quæstio, tenendum est,
 ex fœdere Domini tanquam ex fonte oriri fidem.
 In fœdere porrò semper gratiæ promissio inclusa
 est. Quare ex primis Theologiæ rudimentis est mu-
 tua inter fidem & promissionem relatio. Ne lōgius
 vagemur, tenendum est nobis exemplum Abrahæ,
 quando non frustra Pater fideiū vocatus est Abra-
 ham. Seruetus ideo iustificatum negat, quòd vllam
 Dei promissionem amplexus sit. Quid autē Moses?
 Deum Abrahæ benedictionem pollicitū esse refert:
 imò tunc decima vice aut circiter loquutum esse, vt
 quod prius de paterno suo fauore testatus erat, me-
 lius in eius animo sanciret. Accedat etiam Paulus
 clarior interpres, ac locupletior. Hic certè fidem A-
 brahæ à promissione non separat, cuius verba sunt,
 4. ad Romanos cap. Ad promissionē Dei non hæsi-
 tauit diffidentia: sed roboratus est fide, certò persua-
 sus, quòd qui promiserat, potens esset etiā præstare.
 Videmus vt Paulus fidem Abrahæ minime suspen-
 dat vel à muta aliqua visione, vel generali voce Dei:
 sed eam in promissione stabiliat. Sic & 3. ad Galatas
 cap. fidem Abrahæ cōmendans, ter nos ad promif-
 sionem reuocat, sine qua nihil omnino est fides. Si-
 cuti etiam 4. ad Romanos cap. satis apertè testatur

his verbis, Si ex Lege est hæreditas, ex inanita est fides,
 & abolita promissio. Si operum meritis nitatur sal-
 lus nostra, Paulus admonet nõ modò nihil fore cer-
 tum, vel stabile, sed totã eius fidẽ prorsus concidere.
 Vnde hoc probat: Quia scilicet abolita sit promissio.
 Videant Serueta discipuli quomodo suum ma-
 gistrum Paulo concilient. Nam, illo authore, pro-
 missione collapsa, manet tamen firma & recta fides:
 imò non expectat dum vllum amoris sui signum o-
 stendat Dominus, sed posthabita eius voluntate, satis
 habet confusè loquentem audire. Hic verò simul ac
 labascit promissio, fidem euanescere docet. Itaque r.
 ad Ephes. cap. adoptionis Spiritum, quo filii Dei ef-
 ficimur, promissioni alligat, hoc epitheto ipsum in-
 signiẽs, quòd sit promissionis Spiritus. Iam quã fi-
 des fructus sit Spiritus, eius naturæ repugnare palã
 est quod Seruetus inducit dissidium. Eadem ratione
 4. ad Galatas capite dicit nos promissionis esse filios
 secundum Isaac. Vbi nunc erit hæreditas Serueti,
 quum sola promissio nobis ianuã aperiat regni cæ-
 lorum? Similiter 2. ad Ephesios cap. spem non nisi
 à promissione manare ostendit, ideòque extraneos
 esse à fœdere Domini, qui in eius promissionem nõ
 recumbunt. Eodẽ modo vt nobis constet spes ater-
 næ vitæ, 2. ad Timot. 4. nos in promissione cõtinet.
 Primo etiam cap. ad Titum, non simpliciter repo-
 sitam nobis in cælo salutẽ esse dicit: sed vt sciamus
 ad nos pertinere, simul addit ab eo esse promissam
 qui mentiri nequit. Atqui Seruetus Epist. 10. me ac-
 cusat quòd pertinaciter defendens, neminem sine
 promissione iustificari posse: Christi fidem callidè
 q. i.

dissimulem. Quid hoc rei est? An apparuit mundo
 Christus, vt Dei promissiones extingueret? Mihi ve-
 rò longe potior est Apostoli authoritas, qui Roma-
 norum is, ministrū Circūcisionis esse dicit ad pro-
 missiones implendas quæ Patribus datæ fuerant. Il-
 lustrior etiam extat sententia 2. ad Corinthios pri-
 mo, Quòd omnes Dei promissiones, in Christo ipso
 sunt Etiam & Amen. Paulus, vt nobis thesauros gra-
 tiæ Dei per Christum allatos explicet, totam eius
 virtutem, totumque officium Dei promissionibus
 indiuiduo nexu copulat. Denique totam Christi fi-
 dem ædificat in promissionibus, sine quarum negle-
 ctu, secundum Seruetum, Christo non ritè creditur.
 Atqui Paulo concinunt omnes Sanctorū voces. Hæc
 Zacharias causā oblatæ in Christo salutis assignat,
 quia loquutus fuerat Deus ad Patres. Dei misericor-
 diam extollens beata Virgo, ad fœdus, & promissio-
 nes respicit, sine quibus vt absconditus est Dei amor,
 ita nulla salutis cognitio percipitur. Ideo Simeó ex-
 hibitum Dei Salutare canens, ab eodem scopo mini-
 me defleuit. Denique hic primus est in fundamēto
 fidei nostræ lapis, fœdus quod olim cum Patribus
 Deus pepigerat, nunc in Christo ratum esse, & com-
 pletū. Ergo Seruetus fidē Christi à promissionibus
 discerpens, non minus atrocē Christo facit iniuriā,
 quàm qui suis vestibus nudatum flagellarūt. Dicit
 Seruetus, Chananaā mulierē, vel alios quoslibet so-
 lo Christi aspectu propter miracula illi credētes fu-
 isse iustificatos, etiāsi de promissionib⁹ nihil vnquā
 audissent, quia se Christus factis declarabat esse Dei
 Filiū: quòd credentes saluabat, etiamsi essent Scythæ
 nullam promissionē habentes. Verūm Seruetus ló.

ge alium Christū pingit, quān qui nobis à Prophe-
 ta Iesaja delineatus fuit cap. 53, Sciētia sua (vel noti-
 tia sui: vtrūque enim legi potest) iustificabit multos,
 ipse iustus meus. Doctore certè illic Deus nobis præ-
 ficit suum Filium, vt nos iustificet. Videtur tandem
 huc descendere Seruetus, quum Euangelio credere
 dicit, qui vocē hanc recipiunt, Hic est Filius meus di-
 lectus, in quo mihi cōplacui. Sed quomodo inter se
 cōuenient ista duo, sufficere nudum virtutis aspectū
 in miraculis, & requiri vocē loquentis: Fidē Scythis
 omnis doctrinæ ignaris & expertibus, cū Christi di-
 scipulis cōmunem esse? Et tamē duo ista placita Ser-
 uetus simul cōtexit. Cæterum vt de repugnantia tā
 deformi fileam, plus satis absurdum est eius cōmen-
 tum, quòd vox ista Patris nihil nobis promittit, sed
 tantum declarat quid sibi placeat. Iterū Christum
 vero suo ornatu spoliat hic carnifex, quasi virtute
 omni, & diuitiis vacuus ad nos prodiret. Nec verò
 aliunde quān ex loco præsentis refutatio petēda est.
 Iubet Pater audiri Filiū. Nōne ita & docēdi partes
 ei iniungit, & nos ad docilitatē instituit, quæ genui-
 na est ad fidē preparatio? Nunc vidēdum an Chri-
 stus nobis creatus à Patre doctor obmutuerit, an ve-
 rò ita loquutus sit, vt nihil promitteret. Imò hac de
 causa Paulus Euangelium appellat Verbum fidei,
 quia in eo nobis ad viuum Christi gratia exprimi-
 tur. Et certè omnib⁹ formidabilis Christi maiestas
 in miraculis fuisset, nisi sensissent Deum Patrem il-
 lo Mediatore sibi esse propitium. Vnde autē conci-
 pi hæc persuasio potuit nisi ex verbo? Nec est quod
 obstrepat Seruetus, iustificatos fuisse Niniuitas, quia

Deo crediderint nihil promittenti, sed potius exitū minanti. Atqui si fatetur missū illis fuisse Ionā, qui ad pœnitētiam ipsos adduceret, concedat simul necesse est fuisse gratiæ Dei præconē. Hæc enim legitima est docendæ pœnitentiæ ratio, quòd Deus nolit mortē peccatoris, ideòque benignè, & comitèr perditos omnes ad se inuitet, vt cōuersi uiuant. Tenendū enim memoria est illud Psalmi 130, Apud te est propitiatio, vt timearis. Quo significat Dauid, fieri nunquam posse vt animum adiuciant homines ad cultū Dei, seque in eius obsequium addicant, donec misericordem sibi fore concipiant, ac propitium. Cornelium, & alterum Centurionem nobis obicit Seruetus, quorum alter à iusticia, & bonis operibus laudatur: alterius fidem ita celebrat Christus, vt neget se tantam uidisse in Israel. Sed non cogitat hominem Gentilem, quum diu in Iudæa versatus foret, pietatis rudimentis fuisse imbutum, vt Christum ex Dei promissionibus Mediatorem apprehenderet. Cornelii verò exauditas fuisse preces Lucas testatur. Precari autē qui potuit, nisi fide directrice? non illa quā somniat Seruetus, sed quæ ex Dei promissionibus nascitur: quemadmodum loquitur per Prophetas, Dicam illis, Vos populus meus: & ipsi vicissim dicēt mihi, Tu Deus noster. Videmus ergo vt inuocatio- nem ordine præcedat promissio, ac Dominus grati- to suo fauore nos præueniens, os nobis ad orandum aperiat, sicut dicitur Psalmo 5, Multitudine misericordiæ Dei fretus ingrediar eius templum. Seruetus verò nō modò calcata promissione superbe irrūpit, sed nobis etiam oblatrat, quòd Deo proferamus in medium suas promissiones, vt se erga nos veracem

præstet. Non pudet vos, inquit, Deum vobis facere
 debitorem: Nos verò quam Deus promiserit fiduciã,
 nobis intrepidè sumimus. Nec dubitamus familiariter
 ex verbi sui præscripto agere. Sancta est illa
 præsumptio, quæ ita exurgit, vt præeuntem sequatur
 Deũ. Nec etiam Paulus alium rite precandi modum
 vel sciuit ipse, vel aliis tradidit. Nam Ephesi.
 3. cap. quum dicit nos habere audaciam in Christo,
 & accessum cum fiducia per fidẽ eius: satis declarat
 nullos rite ad Deũ accedere, nisi qui testimonio gratiæ
 eius instructi se exauditum iri confidunt. Similis
 est alterius loci spurcicia, pag. 332, Qui exercet mi-
 sericordiam in proximum, etiam Samaritanus, ille
 iustus est. Aduersarii quidam hodie nolunt cõcedere
 Samaritanum illum esse ob misericordiã iustificatum,
 sed suis promissionibus aliter ludũt, quas vbi-
 que requirunt. Non solũ Samaritanus ille cõuincit
 eos, sed & publicanus, qui nec promissiones, nec
 Christum sciens quũ oraret Deum sibi fore propiti-
 um, iustificatus est. Videmus vt elatis in sublime
 hominum meritis, Deum illis obnoxium faciat. Interim
 stultæ confidentiæ nos arguit, quòd fidelem ipsum
 credamus, dũ se nobis obstrinxit, non aliquid à
 nobis sumẽdo, sed omnia gratis pollicendo. Mox
 ad diuersum exemplũ transfilit. Neque enim meritis
 quicquam Samaritanus impetrat, sed humili veniæ
 deprecatione. Sed quis cacodæmõ in aurem Serueti
 hoc susurravit, illum nescisse an vlla esset Dei promissio:
 Quin potius, quum exauditus fuerit, in fide orasse
 colligimus. Porro certũ est illud Iacobi, Qui orando hæ-
 sitat, similem esse fluctui maris qui à ven-

to circūfertur, ideóque non esse sperandum vt quicquam à Domino accipiat qui talis est. Iam vnde illa certitudo, nisi ex Dei promissione? Nihil enim minus ferédum, quàm vt Deum sibi homines propria imaginatione obligēt. Sed ego in re tam perspicua iā nimis prolixus fuisse mihi videor. Restat vt breuiter demonstrē, quàm verè conquestus fuerim, labefactari ab ipso gratuitā fidei iustitiam. Dēsa quidem sylua esset huius argumēti tractatio, & quæ integrum volumen absumeret, si vellem singulas eius partes excutere: sed mihi satis erit summam tantum attingere, vnde, quàm pestilens & detestabile sit Serueti commentum, delibēt lectores. Libro 2. de Lege & Euangelio, pag. 327, & nouem sequentibus, hoc axioma sumit, Quòd Patres sub Lege operibus iustificati fuerint. Ad id probandum testimonia congerit, in quibus mentio fit iustitiæ Legis. Ego autē vno verbo respōdeo, nihil esse controuersæ, quin perfectam iustitiam Lex in se cōtineat. Quòd autem ex ea nemo iustitiam consequitur, nō doctrinæ vitio, aut defectu, sed carnis infirmitate fieri testis est Paulus 8 ad Romanos cap. In Lege ergo ostendit Deus quænam sit iustè viuendi ratio. Sed stultè infert Seruetus, Legis obseruatione iustificari homines. Insistit tamen in quærendis probationibus: quòd oculi Domini super iustos, & faciētes bonum: quòd beati sint qui faciunt iustitiā omni tempore: quòd iustitia eorum maneat in seculū seculi, qui dispergunt & dant pauperibus. Hæc omnia in se vera esse fateor: sed vbi ad homines vētum est, quia nemo in solidū præstat quod iubetur, reos omnes fieri transgressionis dico.

Serueto non est impossibilis obseruatio Legis: quia
 dicitur Iohānes venisse per viā iustitiæ. Quasi verò
 fide negemus iustificari opera, vt iustitiæ honorem
 obtineant corā Deo, & apud homines. Quāquam e-
 nim si ad rigidum iudicii sui examen Dominus vitā
 nostrā exigat, omne os obstrui necesse erit: quia ta-
 men tāquam filiis ignoscit, hinc operibus per se in-
 iustis gratuitam iustitiam ex venia imputat. Verūm
 Seruetus, vt solent isti Cyclopes etiam inter media
 fulmina stertere, quid paterna illa Dei indulgentia
 sibi vellet, nunquam expendere dignatus est. Itaque
 vnum illud arripit, iustitiam aliquam factorum in
 Lege laudari. Adde quòd in altero quoque halluci-
 natur, quòd ex singulis factis iustitiam æstimat. Ze-
 lus Phinees fuit iustitia. Obstetricum virtus in ser-
 uandis infantibus fuit iustitia. Rahab meretrix ser-
 uatis exploratoribus iustificata est. In Rechabitis
 abstinencia vini fuit iustitia. Atqui miser, quid Deus
 vtrinque pronuntiet, non attēdit. Vitam enim non
 vni, vel alteri operi promittit, sed totam Legis obe-
 dientiā complectitur. Qui fecerit hæc, viuet in ipsis.
 Qui autem vnū Legis apicem fuerit transgressus, in
 eum incumbit certa maledictio, secundū illud, Ma-
 ledictus omnis qui nō permāserit in omnibus quæ
 scripta sunt. Videmus quā turpiter in ipsis rudimē-
 tis lapsus sit Seruetus. Interea illam Legis iustitiam,
 qua etiam secundum ipsum gloriati sunt sancti Pa-
 tres, ad nostrum seculum pertinere negat, quia solū
 nobis licet Christi facta narrare, qui omnia opera
 pro nobis operatus est Legem implendo pro nobis,
 quum non possemus id præstare. Carnali populo,

sicuti Dauidi, Ezechiæ, Nehemiæ licuit in suis factis
 gloriari. Nobis autem non licet, nisi in cruce Domi
 ni nostri Iesu Christi, quia propter tâta beneficia su
 mus in perpetuum eius facti debitores, & serui, se
 cundum illud, Serui inutiles sumus. Primùm quæ
 ro, nihilne Deo sancti patres debebant, vel vnico iu
 re creationis, vt efferre suas iustitias libere auderent?
 Cuius phrenetidis hoc fuit, humanum genus vsque
 ad Christi aduentum à Dei seruitute absolueret? Iam
 videmus vt gratiam redemptionis per Christum
 partæ, ad nostrum seculum bis impiè restringat.
 Nam si ad veterem vsque populum spectaret, fuisset
 Deo ipse quoque nobiscum debitor. Atqui vel vnus
 Dauid omnium nomine, totius veteris Ecclesiæ sa
 lutem à tam indignis Serueti calumniis vindicat,
 Ne intres iudiciũ cum seruo tuo Domine, quia non
 iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Quàm
 multa eiusdem generis subinde in Prophetis testi
 monia occurrant, vnde perspicitur nihil sibi aliud
 reliquum fecisse Sanctos, nisi vt in se ipsis desperati,
 ad Dei misericordiã confugerent, abũde in mea In
 stitutione docui. Nec longa recitatione nunc opus
 est, quando vno Pauli dicto tota lis dirimitur. Quũ
 iustitiam hominũ in gratuita peccatorũ remissione
 consistere docet, non à Petro, nec Iohanne, nec suis
 collegis probationẽ petit, sed à Dauide: quia beatos
 pronuntiãs, quibus remissæ sunt iniquitates, iustitiã
 absq; operibus definit. Abrahã porrò fidelĩũ pater
 quomodo iustificatus est: Ex operibus, inquit Serue
 tus. Peruersẽ enim Sophistarũ more Iacobi locũ ex
 ponit. Vt tamen Paulo contrã docenti aliquid cõ-

cedat, dicit, prius suū credere Abrahæ reputatū fuisse ad iusticiam: sicut si princeps apud se animū sui militis cogitans, ex gratia & priuilegio reputet ei conatum bonum pro re confecta. Secundum naturā rei hoc non debebatur fidei Abrahæ, nec nostræ, sed ex gratia id ibi factū est. Figura fuit rei futuræ, vt Christi in nos gratiam magnam intelligamus. Atqui si hoc recipitur, fide oblatam sibi iusticiā minime amplexus fuit sanctus vir, sed ideo præter meritū habitus iustus, quia ad promerendam iusticiæ laudē probè iā affectus foret. Cæterum quo sensu pagina 304, propter vnum fidei actum Abraham iustum fuisse dicat, anxie nō inquirō, nisi quòd inde colligere pròptum est, non secus de fidei iusticia imaginari Seruetum, quàm si Deus præmiū illud operibus nostris rependeret. Quid enim aliud est iustificari propter fidei actum? Adde quòd pestilentius venenum illic latet: quia Abrahæ iusticiā nostræ vmbra dūtaxat fuisse subindicat: quia fidei tēpus à Christi demum aduentu incœperit. Tandem vbi Seruetus de Patrum iusticia multū garruiuit, seipsum multis absurdis expedire volens, magis inuoluit, atque intricat. Nam pagina 334, sic loquitur, Quia carnalis erat illa iusticia, & insufficiens, non veritas, sed vmbra: deinde, quia non erat constans, eo quòd nemo integre operatus est quod debeat: tertio, quia peccati cognitio, quæ per Legem erat, delictū faciebat maius: concluditur verum esse illud Pauli, carnalem hominem non potuisse iustificari coram Deo. Non nihil quidē dicere videtur: si quis tamen penitius excutiat eius sensum, hoc tantum agit, quòd extenuat carnis

iustitiam, ne salutis æternæ meritoria esse credatur. Cæterùm qua audacia carnalem hominẽ loco carnis supposuit? Quasi verò qui Spiritu donati sunt, ex Lege obtineant iustitiam. Sequitur paulo pòst, Ecce Legis difficultatem, imò impossibilitatem, si iugem obseruationẽ velis: nihilominus dabatur plerisque ea mens ad certa saltem momenta, vt Legem cum affectu tenentes, nullam tunc transgressionem facerent, secundum illud, Faciam vt in præceptis meis ambuletis. Obseruatio ergo Legis erat, quando quis operabatur quod poterat, & c. Bene habet, quòd Deũ plus iussisse fatetur, quàm homines sint præstando: quum toties Simonis magi discipulos esse clamitet, qui in Lege aliquid maius præcipi dicunt, quàm ferat hominum facultas. Interim partiale obsequium pro iustitia censerì contendit, vt tantum dimidia ex parte fides nos iustificet: Quia propterea, inquit, non deletur operum bonitas, quorum habèda est coram Deo ratio, non tantum in Iudæis & Gentibus, sed etiam in nobis. Annon gratuitam iustitiam labefactat, qui fide tantum suppleri dicit, quod in operibus mutilum est? Concludit demum iustificationes fuisse plures, vt pro quocunq; dicto, vel factò, vel cum affectu cogitato iuxta Dei voluntatem iustificaretur homo. De nobis autẽ, libro 3, tractare incipiens, promissam operibus mercedem lógo sermone profequitur. Deinde recenset charitatis elogia. Tertio fidei effectum aggreditur. Hoc verò docendi ordine quid aliud agitur, quàm vt prius hominum mentes diabolica operum fiducia occupet, quàm aliud quid concipiant de Christi gratia? Cæterùm vt fidei

vim supra cælos extollat, ex eius tamen dictis nōn-
 si mera confusio elicitur. Nam quum fides, secundū
 ipsum, promissionibus intenta non sit, non recipit
 oblatam gratis iustitiam. Deinde, quum gratiæ pro-
 miscue misceatur operum iustitia, non reperiet con-
 scientia vbi placidè, tutòque quiescat, vt beatam il-
 lam pacem, cuius meminit Paulus, adepta, intrep-
 dam Dei inuocationem cordibus nostris dicter. Po-
 stemò quū addit charitatē esse quæ fidei efficaciam
 tribuit, eamque viuificat, quia Spiritus sanctus, qui
 charitas est, vita est ipsius fidei, & opera charitatis eā
 viuam seruant, pag. 350: talibus fumis totā fidei natu-
 ram pessime obscurat. Huc accedit, quòd Epistola
 11, hac de re mecum data opera digladiatur. Ac pri-
 mò colligit, sicuti peccata non solū declarant homi-
 nem iniustum, sed efficiunt: ita bonis operibus non
 solūm mōstrari iustum hominem, sed effici. Atque
 hoc confirmat, quia benefacta in gratia tantūm va-
 lent ad augendā gloriam, quantū malefacta in pec-
 cato ad augendā pœnā. Ad hæc, quia dicit Iacobus
 non solūm fide iustificatū Abraham, ratiocinatur,
 partim ergo id factum esse operibus. Addit etiā, quū
 iustificari sit fieri ex impio iustum, fieri etiam ex iu-
 stis iustiores. Quia nihil adducit quod non abundè
 in mea Institutione refutauerim, superuacua dispu-
 tatione lectores nō morabor. Tātūm monere volui,
 nihil aliud fuisse homini propositum, nisi vt euer-
 satæ iustitiæ fiducia, miseras animas in perpe-
 tuā inquietudinem cōiiceret. Quas autem in nos ca-
 lūnias eruetat Seruetus, non minus securè negligo,
 quàm si ignauus quispiam canis ex suo sterquilinio

procul latraret. In Apologia ad Melæthonem nos omnia bona opera dānare blatterat. Epist. 13, me fingere iustitiæ imputationē, quæ in homine nihil mutet, vt nihil ab iniusto differat iustus. Quasi verò inutilibus probris doctrinā nostram tot libris luculētē testatam delere posset. Hoc dico, si quis eius rixas ad scripta nostra conferat, phreneticum statim videbit sine gladio & armis tumultuari, vt cum vmbra sua depugnet. Præsertim impudentiæ eius cumulus Epistola penultima se proferet, vbi me concludere ait, nullum in regno cælorū fore gloriæ discrimen vel operum, vel fidei. Quid ego crimen hoc à me diluere laborem, cuius in contrariam partem extant, & leguntur tam præclara testimonia? Valeant ergo eiusmodi nugæ, quæ in aerem potius, quàm in nos aetate sponte euanescent. Hæc fortè ratio est cur sibi licere optauerit, integrum errorum meorum catalogum cōficere: quasi scilicet bellè ei cecidisset sua proteruia, quum ex suis latebris adhuc liber impunè debacchatus est. Non meos vnus, sed publicos, vt dicit, Ecclesiarum nostrarum errores Melæthoni exprobrat. Quinam autem illi sunt? Vnius Dei diffectio: veræ fidei Christi abnegatio: bonorum operum destructio: Legis cum Euangelio, & Iudæi cū Christiano cōfusio. Secari à nobis Deum fingit, quia simplex eius essentia tribus personis distinguitur, quum ipse in tres essentias Deū dilaniet. In reliquis quàm improbe, & sine colore maledicat, ex libris nostris perspicuum est. Postea idem ter, aut quater repetendo, quasi in circulum reuoluitur. Inter alia id notatu dignum, quòd dicit, nos in precibus Deum teme-

re in ius vocare vt promissa seruet, ac si ex debito nobis esset obligatus, ac non plura nobis quam Iudæis præstiterit, pagina 671. Nihil tamen præsius vrget, quam phantasticam suam resurrectionem, de qua paulo post videbimus, & allegoricas suas speculationes, quæ Scripturas Thalmudico artificio transformant. Postea de tritis, & nugacibus articulis pueriliter balbutiens, tanquam è suggestu Melancthonem tam superciliosè docet, vt dicas puerum esse sub eius ferula. En quàm scitus fuerit reprehensor, vt optanda illi fuerit censoria in me libertas. Quis tamen obstabat quominus si quos errores in me deprehendisset, eorum catalogum cõficeret suo arbitrio? Sesequimensis otiosus transegit in carcere: nunquam negata fuit librorum copia. Quàm licentiosè stilum in me exercuerit, illustre specimen lectoribus exhibui. Nunquã præ se tulit, aliud se carpendū habere. Tantum pro césura supplicè libellū cõposuit, in quo me postulabat ad capitis suppliciū, meaq; bona sibi adiudicari petebat: opimam scilicet prædam ex plumbeis thesauris captans. Et tamen sæpius me execrabilem vocauit: quia criminalis, vt dicebat, essem accusator. At si mihi integrum errorum eius catalogum scribere propositum fuisset, duplicandus erat liber. Ex vberissima copia, duobus nunc exemplis ero contentus. Quod pagina 460, de triplici Spiritus missione dicit, non attigi. In quo tamen non minus perniciosè, quàm in ipsa Spiritus essentia delirat. Prima illi missio est in vmbra ante Christi aduentum, quia Spiritus instar auræ volitans super aquas, & non habens vbi integre requiesceret, reuersus est, ac se in ex

lo continuit. Nunc sanctos Patres Spiritus gratia se orbasse neget, qui umbratilem quasi momento apparuisse fingens, in cæli adyta mox recludit. Corporalis fuit secundum ipsum missio secunda, quando corporaliter visi sunt aperiri cæli, & Spiritus visibili forma descendere. Tertia quæ spiritualis est, atque interna missio, non additur continuò post, vt sciamus Christum arcano modo intus semper gubernasse Ecclesiam: sed ad renouationem nescio quam differatur, vbi abolitum fuerit regnum Papæ. Interius ergo Spiritus regimen, quo verè testatus est Christus se mysticum esse Ecclesiæ suæ caput, penitus deletur à Serueto, vt instar Mahometi, cum noua & prius incognita reuelatione, noui mundi instaurator surgat. Annon id est quicquid adeptus est gloriæ Christus, ex quo ad Patris dexteram confedit, exinanire? Neque enim, vt sibi priuatim regnaret, in tantâ conscendit altitudinem: sed vt Spiritus sui gratiam diffunderet, quam in cordibus suis certo fidei sensu reconditam agnoscunt fideles, licet visibilis non appareat. Diuturnum quod fingit Ecclesiæ è terris exilium, non attigi: in quo Deum palàm mendacii coarguit. Attendant lectores, atque ex hoc quoque loco discant, in refellendis Serueti erroribus me parcum fuisse magis quàm cupidum. Ecclesiam fingit ab annis mille ducentis & sexaginta fugatam à mundo fuisse, vt cælum illi exilium fuerit. Nos certè è splèdidis sedib' fuisse eiectam fatemur, sed ita vt electas à se reliquias admirabili gratia seruauerit Dominus. Alioqui mentitus foret, qui semper aliquem sibi populum in terra fore promisit, quandiu sol & luna in

cælo fulgebūt. Scimus quid passim de æterno Christi regno testentur Prophetæ. An eius sedem in cælis locant? Imò fore prædicunt, vt sceptrum eius è Sion procul Dominus ostendat, quo dominetur ab Ortus vsque ad Occasum, & eius hæreditas sit terrarum orbis. Nūc ergo populo eum priuare qui nomen eius celebret, perinde est ac si abscissa eius parte, ipsum in cælo mutilum includere tentemus. Non enim frustra dicitur Ecclesia eius completum: nec ea quidem Angelica vel cælestis, sed quam in hac mundi peregrinatione fouet, ac præsidio suo tuetur. Itaque verè & prudenter Augustinus, Nisi Ecclesiæ suæ coniunctus sit Christus, non secum afferre quod illi à Prophetis tribuitur. Scitè etiam alibi colligit, Qui Ecclesiam interiisse volunt, iam non esse eius membra. Neque est cur è paucitate coniciat quispiam, me quicquid potuerim in medium protulisse. Nam omnegenus ineptiis scatent eius libri. Qualis obsecro, speculatio est, Quauis non peccasset Adā, Christum tamè prædestinatum fuisse hominem, qui carne indutus, mutatos homines secum in cælos duxisset: Quàm speciosum cõmentum, Arborem sciētiae boni & mali Christi fuisse figuram, cuius præcipiti desiderio sese Adam cum posteris in exitium demerferit? Nā hoc modo lætalè fuisse Christi gustum sequetur. Quid deniq; coloris habet, spirituale nūc asingere Christo corpus, quod cælū & terrā sua plenitudine impleat? Sed ne præter institutā libri rationē materia mihi crescat, plura exēpla nō persequar. Interea hoc tenebo, sic gratuitam hominis iustitiā perueriti à Serueto, vt miserè tandè concidat. De in-

iuria facta veteri populo, quòd eum carnalem fa-
 ciens, cælestibus beneficiis priuauit, iã antè differui:
 vt frustra nunc obiecto euanido probro euolare ten-
 tet. Rursus tamen aliquid breuiter repetam. Fateor
 quidem instar equi desultorii ipsum huc & illuc se-
 se vertere. Nam pagina 239, vbi de inferno disputat,
 & reprobos dicit post mortem non scire certò sint-
 ne dånandi, licet formident, eandem formidinis spe-
 ciem Abrahamæ & Dauidi tribuit, quum mortui sunt.
 Et tamen pagina 235, eos qui ante Christi mortem
 mortui sunt, detrusos ad infernũ fuisse docens, quasi
 obliuioni à Deo traditi forèt, paucos excipere se ad-
 dit, quos futuri Christi spes fouebat. Sed quinã sunt
 illi pauci, inter quos ne extremum quidem angulũ
 Abrahamæ, & Dauidi relinquit? Denique generaliter
 ita loquitur, prædam dæmonis fuisse pias animas,
 quibus tandem liberator apparuit Christus. Cæte-
 rum quid post mortem adepti fuerint, non disputo:
 quia mihi sufficit priuari eos spiritali gratia quan-
 diu vixerunt. Aperta autem sunt Serueti verba pagi-
 na 460, quòd in nullo Patriarcharum vel Propheta-
 rum requieuit Spiritus Christi: nemo ante aduen-
 tum eius donatus fuit Spiritu regenerationis san-
 cto. Siquis roget vndenã didicerint Prophetæ quæ
 prodita sunt eorum oraculis: respõdet Petrus, Chri-
 sti Spiritu fuisse illis reuelata. Sed de ipsa voce lirem
 mouere superuacuum est: quia vt centies crepet spi-
 ritus Serueti, quicumque non regeniti sunt viuifico
 Spiritu, eos in æternum interitum damnari cõstat.
 Vnde autem viuificus Spiritus, nisi ab ipsa vita? Nũc
 Iudæis aliquam salutem tribuat Seruetus iudicii fi-

nalis intuitu, sicuti & Ethnicis tribuit pagina 193.
 Quia tamē nobis nulla à Deo, nisi per regeneratio-
 nis Spiritū promittitur salus, iure notata fuit à me
 Seruēti impietas, à quo Spiritum illum Patribus ere-
 ptum esse doceo. Superest caput vnum de imagina-
 ria resurrectione: in quo tacitè se Libertinum fate-
 tur, quum sibi à me fieri iniuriam dissimulet. Nec
 certe dubiū est in flexuosis eius ambagibus aliquid
 occulti veneni subesse. Capite autē quarto libri de
 fide & iustitia, non modò obliquè insinuat errorem
 suum, sed palàm Libertinizat.

Cæterum ne spinosæ Seruēti argutiæ rudiores
 quosdam, & Sacrarum rerum minus peritos, vt spar-
 sim hactenus fuerunt agitata, perplexos teneant, fa-
 cturus mihi operæpretium videor, si breue earum
 compendium ex confusa farragine collectum ante
 oculos ponam.

Qualis sit Deus Serueto.

Deum sibi fingit, qui in mundi creatione Verbū
 & Spiritum proferre cœpit, ac tunc Personam in-
 duit, visibilem se faciens in tribus elementis increa-
 tis. Interim tamen Deitatem suam ita creaturis om-
 nibus fecit communem, vt sit lapis in lapide, lignū
 in ligno. Tādē verò post Christum manifestatum
 in tres essentias diuisus sit, maneat tamē vnus Deus;
 quia hæc dispensatio nihil in eo mutat.

Qualis sit Christus Seructo.

Primò dicitur Sermo esse Dei, nūc æternus, nunc
 qui originē habuit à mundi creatione: quia nō antè
 extitit Lux, aut Verbū, quàm dū mūdus creatus est.
 Atque hic Sermo vocatur imago substantialis Dei,

quia externa fuit, & visibilis quædam facies ex tribus increatis elementis composita. Adhæc, genitus ex Deo fuisse dicitur non re ipsa, sed figuratiuè: quia in eo Deus futurum hominem genituriuit, mulierem expectans ex qua eum gigneret. Jam quia homo futurus erat, quoties in forma hominis apparuit sanctis Patribus, dicitur cæleste fuisse corpus, & diuinum futuri hominis, personam hypostaticè sustinens. Tandem dicitur ex Patris substantia sic conceptus fuisse in vtero Virginis, vt ipsa Verbi essentia transferit in carnem, nec duabus naturis distinctis Christus constet, sed caro eius non minus Deus sit ac Deitas, quàm Sermo. Denique non censetur Sermo carne vestitus, sed transformatus in carnem. Interim dicitur ex Verbi femine, & Spiritus substantia promiscuè genitus. Corpus autem eius non dicitur ex femine Abrahamæ simpliciter fuisse genitum, sed partim etiam conflatum ex tribus illis elementis, & illa substantiali Dei facie, quæ ab initio visa fuit sanctis Patribus. Anima eius partim ex humano, partim ex diuino Spiritu dicitur fuisse composita, donec per resurrectionem substantialiter innouatus fuit eius Spiritus. Quinetiam tunc absorpta in Deitatem fuisse dicitur eius caro, vel in Deum conuersa esse, sicuti prius Deitas in carnis naturam transferat.

Quid Spiritus Serueto.

Spiritus dicitur lenis quædam aura, quæ ex Verbo fabricato in mundi creatione prodiit, non quòd propriam haberet ac distinctam hypostasin. Nunc enim dicitur idem fuisse cum Verbo: nunc dicitur

umbra fuisse eius substantiæ, quam perceptibilem fecit temporis successio. Discrimen verò eius à Patre alibi notatur, quòd alius sit ratione admixtæ creaturæ, quia non mera sit Deitas, sed aliquid ex Dei essentia, & creata virtute commixtum. Vnde & Deus operari in nobis Spiritum dicitur. A Christi autè ascensu dicitur extitisse nouus Deus, vel modus Deitatis.

Quid homo Serueto.

Homo dicitur ad imaginem Dei creatus, quia nõ solum in anima, sed etiam in corpore insitã habeat Deitatem. Quãquam autem diabolus quadam coitus specie in carnem intrusus est, manere tamè Deitatis essentiam in ipsa anima tradit. vnde & liberum arbitrium, & radicalis vita. Cæterum cū sua essentiali Deitate per mortẽ efflari dicitur in ambitũ aeris: quia per peccatum mortalis reddita est sicut caro. Ideoque substantiæ animam definit, non aliud esse, quàm respirationem & flatum. Quinetiam dicitur minime obstare illa Deitas, quin suffocata vsque ad annum vicesimum iaceat scientia boni & mali: quia crassi humores prævalent, vt peccatum mortale nemo ob notitiæ defectum admittat, nisi viginti annis maior. Deificari autè dicitur in filiis Dei: quia substantialiter in eam descendit Spiritus, sicut in Christi persona Verbum caro factum est, ideoque regenta anima, dicitur consubstantialis, & coæterna Deo. Quamquam simul additur, substantialem illum Spiritum in multis extinguere. licet alibi vocetur tã Spiritus sanctus quàm anima. Afferitur etiã perfectio, quæ in se cõtineat quicquid spirat virtutis Christus.

Quanam sit generis humani corruptio Serueto.

Corpus tantum à Serpente occupatum esse dicitur: anima autem ad primam mortē, & infernum sine culpa damnata esse, vt nullū in hominibus nisi proprium, & actuale peccatum censerī debeat. Interim omnes certa salus manere dicitur in finali iudicio, nisi qui propriis sceleribus mortis æternæ reatū sibi ascuerint. Vnde etiam infertur, quicunque tolluntur è vita infantes & pueri, ab æterna morte exēptos esse, licet alibi vocentur maledicti.

Quanam sit Serueto fides.

Fides olim in Patribus dicitur vmbra veræ fidei, aut figura fuisse: quia non nisi ad terrena bona atenderent, nisi quòd Prophetico Spiritu quidā eminus spiritualem vitam gustarunt. Fides autem propriè dicitur credere in Christum, non quòd promissiones, quibus describitur Christi officiū, & virtus, amplecti necesse habeat, solis miraculis & nuda voce contenta, quòd Christus sit Filius Dei. Vnde infertur in precibus superuacuas esse promissiones: imò absurde facere eos, qui precandi fiduciam inde sumant, quia Deus se exorabilem fore promittens, liberaliter eos ad se inuitat. Cōtra verò non obstare Turcis promissionum defectum quin rite precetur.

Quanam sit iustitia Serueto.

Iustificatos ab initio fuisse dicit siue ex Iudæis, siue ex Gētibus, qui recto naturæ motu bene vixerūt. Quanquam autem Legis iustitiam carnalem fuisse dicit, & fatetur tam Iudæos quàm Gentes non per omnia Deo satisfecisse, finalis tamen iudicii intuitu, iustitiam illam licet carnalem & mutilam valuisse

contendit sine fide Christi, vt in cælestem gloriam cum Christo resurgant. Iustitiam verò, quæ nobis fide gratis cõfertur, sic copulat cum naturæ iustitia, vt non tollatur illa operum bonitas, qua etiam increduli Deo probati fuerūt. Bona porrò opera, quæ regenerationem sequuntur, non modò ad augendã iustitiam valere dicit, sed etiam esse eius partem, vt nõ simpliciter nobis gratuita iustitia imputetur, sed Deus nos ex operum meritis, sicut ex Christi gratia iustos æstimet.


Quænã sit differentia Veteris & Noui testamenti.

Deum sub Lege nunquam fuisse cognitum, sed Angelos illius temporis deos fuisse tradit: & cultũ, qui Deo vni debetur, Angelis fuisse exhibitum. Adhæc, quicquã spirituale Patribus fuisse promissum negat, vel viuifico Spiritu fuisse regenitos, sed terrenam benedictionem quæsisse, quia ex mutato testamento diuersa hæreditas mōstratur. Nos verò dicit participes factos cælestis gloriæ, vt tales simus in terra, qualis in cælo Deus est.

Tametsi ex immensa colluie partem hanc delibauit, & simplex à me recitatio posita est: ea tamẽ vltro se profert absurditas, quæ nõ modò fastidium & nauseam prouocet lectoribus, sed summam detestationem accendat. Væ autem eorum stupori, qui ad eiusmodi portenta non horrescent.

Huic Libro subscripserunt Geneuensis Ecclesiæ
Ministri ac Pastores,

Iohannes Caluinus.
Abelus Pouppinus.
Iacobus Bernardus.
Nicolaus Galafius.
Franciscus Bourgonius.
Nicolaus Paruus.
Reimondus Caluctus.
Matthæus Malefianus.
Michael Copus.
Iohannes Pyrerius.
Iohannes à Sancto Andrea.
Iohannes Baldinus.
Iohannes Faber.
Iohannes Macarius.
Nicolaus Colladonius.



11 8745

OCN 1305201540